Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

153110

010.—

1141

LYCEINSKI KNJIŽNICA

FASCICULUS JO SEPHINUS.

SEV

MANUALE

VENERABILIS SODALITATIS

S. JOSEPHI

335.

Magnæ Dei Matris

SPONSI,

Magnique Agonizantium

PATRONI,

Erectæ à Vene. Sacerdotibus Authoritate & conſenſu.

Celſiſſimi & Reverendiſſimi S. R. I. Principis & Epiſcopi Labacenſis.

D. D. JOSEPHI

Ex Illuſtriſſimis Comitibus de RABATTA &c.

In Roſſulach Eccleſia Filiali B. V. Mariæ ſub Parochia S. Eliſabethæ in Lauffen &c.

Typis LABACI, Joſephi Thaddæi Mayr, Inclyte Provinciæ Carnioliæ Typographi.

Anno 1683.

153 ΛΛ0

153110

Narodna in univerzitetna knjižnica
Ljubljana

N 869/1971

CELSISSIMO

AC

REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

JOSEPHO

Ex Illuſtriſſimis Comitibus

de RABATTA

S. R. I. PRINCIPI

EPISCOPO LABACENSI

Lib. Baroni in Dornberg, & Domino in Canal, Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani Equiti, Commendatori in Loſsen, Oberlibich, & Groſtinz Sac. Cæſ. Majeſt. Conſiliario Intimo

PRINCIPI,

AC

Domino Domino ſuo

Gratioſiſſimo.

X.

FAsciculum, licèt rigente adhuc hyeme collectum, vernantem tamen & floridum *Tibi* liceat offerre, *Celsissime & Reverendissime Princeps.* Fasciculum floridum offerre liceat, ab eo desumptum, qui Florem campi, & lilium convallium sanctis manibus gestavit. Non decebat alteri fasciculum hunc *Josephinum*, quam *Tibi*, *Celsissime & Reverendissime Princeps* Josephe, dedicare, cujus vel ipsum nomen spem facit, & omen; ut, sub quo *Josephinus* noster cœtus excrevit, sub eodem etiam futuris annis clementissime protegatur. Est nimirum hoc Principibus Personis, uti Principi avium aquilæ, quam gentilitiis geris insignibus, inditum, suos sub umbra alarum protegere, simul etiam illis proprium cum celsisslimo illo siderum principe in suos gratias, ve-

lut totidem radios diffundere. Protege quoque ſub umbra gratiarum cœtum noſtrum, ſicut hactenus, ita impoſterum, ſimulque tuis Patrociniis illuſtra; erit hoc in *Joſephinæ* noſtræ Sodalitatis, uti *Joſephi* ſonat etymon, *augmentum*, magni illius ſummi Dei Nutritii venerationem. Quare Faſciculum hunc *Celſiſſime & Reverendiſſime Princeps*, gratioſiſſimis animis, manibusque dignare: vernet hic *Tibi* in annos floridos, ad omne *augmentum* floreat, & in omnem cedat odorem ſuavitatis.

Ita una apprecatur.

Humillima.

Sodalitas Joſephina
In Roſſulach.

PA-

PARÆNETICA CHRISTI AD PASTORES SIVE SPECULUM PARO-CHORUM.

VIri venerabiles, Sacerdotes Dei, Præcones Altissimi, Lucernæ diei Charitatis radio fulgentes, & spei, Auribus percipite verba oris mei.

VOs in sanctuario mihi deservitis, Vos vocavi palmites, ego vera Vitis:

Cavete ne ſteriles, aut inanes ſitis,
Si cum vero ſtipite vivere velitis.

VOs eſtis Catholicæ legis Protectores,
Sal terræ, lux hominum, ovium Paſtores,
Muri domûs Iſraël, morum correctores,
Judices Eccleſiæ, Gentium Doctores.

SI legis protectio cadat, lex labetur:
Si ſal evanuerit, in quo ſalietur?
Niſi lux appareat, via neſcietur:
Niſi paſtor vigilet, ovile effringetur.

VOs cæpiſtis vineam meam procurare:
Hanc Doctrinæ rivulis debetis rigare,
Spinas, atque tribulos ſcitè extirpare,

Ut

Ut radices fidei possint germinare.

VOs estis in area boves triturantes,
Prudenter à palea granum separantes:
Vos habent pro Speculo legem ignorantes
Populi, arundines in bono vacillantes.

QUidquid vident Laici vobis displicere,
Evidenter judicant sibi non licere:
Quidquid vos in opere vident adimplere,
Credunt esse licitum, & culpâ carere.

CUm Pastores ovium sitis constituti;
Ne estote desides, sicut canes muti,
Latratus sive habeant in hostes acuti:

Lupus rapax invidet ovium saluti.

GRex fidelis triplici cibo sustinetur:
Corpore Dominico, quo salus augetur;
Sermonis impendio, qui discretè detur:
Vita exemplari, quâ ædificetur.

OVibus tenemini vestris prædicare,
Sed quid? quibus? qualiter? ubi? quando? quare.
Debetis sollicitè prius cogitare,
Ne, quis in Officio dicat vos errare.

SPectat ad officium vestræ dignitatis
Gratiæ petentibus dona dare gratis:
Ne cujusque hominum munera apprendatis,

Ne

Ne cum Giezi pariter lepram incur-
ratis.

VEstra conversatio sit religiosa,
Munda conscientia, vita vir-
tuosa:
Regularis habitus, ménsque gratio-
sa,
Nulla quam coinquinet labes vitio-
sa,

NVllus, & quam, elevet fastus va-
næ vestis,
Gravis gressus, vultus compositus
sit testis:
Nihil vos illaqueet rebus inhonestis,
Quibus claves traditæ sunt regni cæ-
lestis.

Estote breviloqui, ne vos ad rea-
tum
Pertrahat loquacitas, nutrix vani-
tatum.
Verbum quod loquimini sit abbre-
viatum:

Nam in multiloquio non deeſt peccatum.

ESto te benevoli, ſobrij, prudentes,
Juſti, caſti, ſimplices, pij patientes,
Hoſpitales, humiles, ſubditos docentes,
Conſolantes miſeros, pravos corrigentes.

ITa ſi geſſeritis curam paſtoralem,
Veréque vixeritis vitam ſpiritalem:
Poſtquam exueritis togam hanc carnalem,
Ipſe vobis conferam ſtolam immortalem. Amen.

(o)

J. N.

I. N. R. I.

HPESEPH
ESOSE
OIO
H IAI H
PE AIA EP
E S O I A I R I A I O S E
S O I A I R A R I A I O S
E S O I R A M A R I O S E
P E M S M E P
H H S U S H H
P E U S U E P
E S O I A I R A M S U S E S U S M A R I A I O S E
S O I A I R A M S U S E I E S U S M A R I A I O S
E S O I A I R A M S U S E S U S M A R I A I O S E
P E U S U E P
H S U S H
M S M
A M A
R A R
I R I
A I A
I A I
O I O
E S O S E
H P E S E P H

MRA IHS IPH

MRA IHS IPH

Hæc tria Nomina, bona ſunt omnia
Et mnndi lumina, & cæli limina,

JESUS MARIA JOSEPH!

FASCICVLVS I.

In quo

Forma Profeſſionis Fidei à Pio IV. decretâ, & Regulæ, ac ſtatuta Sodalitatis.

EGo. N. firma Fide credo & profitetor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo ſancta & Romana Eccleſia utitur, videlicet:

Cre-

Credo in Deum Patrem Omnipotentem Factorem Cœli & Terræ, visibilium Omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo lumen de lumine: Deum verum, de Deo vero: Genitũ non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram Salutem, descendit de Cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex MARIA Virgine: & HOMO FACTVS EST. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus, & Sepultus est. Et resurrexit tertiâ die secundum Scripturas. Et ascendit in Cælum, Sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum glorja judicare vivos & mortuos. Cujus regni non

erit Finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem; Qui ex Patre, Filióque procedit; Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur; Qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclæsiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum; Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi. Amen.

Apostolicas, Ecclesiasticas Traditiones, reliquásque eiusdem Ecclesiæ observationes, & Constitutiones, firmissimè admitto, & amplector.

Item sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione vera sacrarum scripturarum admitto; nec eam unquam, nisi

juxta

juxta unanimem Consensum Patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta novæ Legis à IESU CHRISTO Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illáque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio iterari non posse.

Receptos quóque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administrarione recipio, & admitto.

Omnia & singula, quæ de peccato Originali, & de justificatione in sa-

cro

crosancta Tridentina synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, & proprium propitiatorium Sacrificium, pro Vivis, & Defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & sanguinem unà cum anima, & Divinitate Domini nostri IESU Christi; Fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem; quam Conversionẽ Catholica Ecclesia Transubstantiationem nominat.

Fateor etiam sub altera tantùm specie Panis, totum, atque integrum Christum, Verúmque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animásque ibi detentas Fidelium suf-

suffragijs juvari, similiter & Sanctos unàcum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissimè assero Imagines Christi, atque Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum sanctorum, habendas, & retinendas esse, atque ejs debitum honorem, & venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarúmque usum Christiano populo Maximè salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Eclcesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanóque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successari, ac IEsu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, & juro. Cæ-

Cætera etiam omnia à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè ſacroſanctâ Tridentinâ ſynodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimúlque contraria omnia, atque Hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, ac veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpatium conſtantiſſimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro;

ro; sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

REGULÆ ET STATUTA SODALITATIS.

I.

FInis hujus Sodalitatis est, per cultum, imitationem, ac Patrocinium sanctissimi Josephi viventibus RR. DD. Sodalibus felicem ex hac vita exitum impetrare, & vitâ functis celerem ad æterna Gaudia per pia suffragia transitum exorare.

II.

PRecipuum RR. DD. Sodalium erit sibi ob oculos mentis attentâ Consideratione virtutes sanctissi-

ctissimi Patriarchæ Josephi frequentèr proponere, eásque pro viribus in se exprimere, amabilem præsertim morum gravitatem, integerrimam mentis,& corporis puritatem, profundissimam humilitatem, ardentissimam in Deum, & proximum Charitatem, solicitam vigilantiam, & curam erga sibi commissum gregem, &c. Noverintque in universum nullo alio obsequio se tanti Patroni sibi affectum æque conciliaturos, quàm solidâ, & sedulâ ejus virtutum æmulatione.

III.

ENitentur Domini Confratres in domibus suis, cubiculis, vel libello precationum suarum, aut ad lectum, aliquam imaginem S. Josephi habere, in testimonium venerationis suæ, erga hunc sanctum, coram

ram quâ quotidie manè, & vespe-
ri saltem aliquâ breviusculâ oratione
se, & omnia sua negotia, nec non
Dominos Consodales eidem devotè
commendabunt.

IV.

ET, ut huius sancti multotiès per diem tàm in quolibet negotio, quàm necessitate recordentur, multùm juvabit, Annulum in honorem S. Josephi specialissimâ Benedictione benedictum, (quem tamẽ denuò ad confraternitatem, post eorum obitum mitti curabunt, ut preces & missæ sacraficia pro animarum suarum refrigerio persolvantur) in digito, collo, aut Coronâ appensum portare: ut hujus annuli intuitu, vel attactu, ad invocandum, & laudandum S. Josephum inflammentur, &, ita à malis pluri-

mis tam corporis, quàm animæ præſerventur.

V.

QVamvis autem in omni neceſſitate noſtrum ſingulare refugium debeat eſſe ad S. Joſephum, memores tamen illius quòd ipſemet Salvatornoſter Dominus Jeſus Chriſtus, unà cum ſanctiſſimâ Matre ſuâ, illi morienti adſtiterunt, & in extremis poſito, ſua impenderunt obſequia: Confraternitatis iſtius hæc potiſſima eſt intentio, ut per interceſſionem ejus, felicem mortem obtineamus, quæ quidem inter cætera creata, bonum præſtantiſſimum cenſendum eſt; ideóque omnia bona opera, & exercitia, quæ in hac confraternitate peragentur, in hunc finem dirigentur, ut unuſquiſque tam ſibi, quàm aliis confratribus, ad invi-

invicèm felicem mortem, & in agone assistentiam JESV, MARIÆ, & JOSEPH impetrare queant.

VI.

CVrabunt verbo, & exemplo, omnes fideles ad hanc, erga S. Joseph, devotionem, allicere, & excitare, uti summè utilem, & proficuam omnibus, qui exoptant per ejus intercessionem consequi multas gratias à Domino, & bonam mortem: memores illorum, quæ S. Virgo Theresia, vitæ suæ Cap. 6. scribit. *Persuadere omnibus omninò vellem, ut mirificè erga hunc virum glorioſum afficerentur, &, quod sæpiùs experta sum, varia illum bona & gratias à Deo obtinere.*

VII.

CErtum in hebdomada diem, cultui, ſanctiſſimi hujus Patriarchæ, deſtinabunt, eundem particulari obſequio aliquo demerendum: dies eſſe poterit v. g. Sabbati: obſequium verò litanias decantando, aut dicendo; ejus Roſarium recitando; aliquid de vita, & virtutibus ejus legendo, aut meditando; vel actum aliquem virtutis, ad imitationem virtutum S. JOSEPHI exercendo; vel in aliqua re ſeipſum mortificando, pro uniuscujuſque pietate, ac devotione.

VIII.

SIngulis annis in feſto S. JOSEPHI, quod in 19. Martii incidit, ſacellum Confraternitatis viſitabunt, & (ſi poſſibile) ſacro cantato, & concioni, ad aliorum piam æmula-

mulationem intererunt; ſi verò impediti fuerint, eandem feſtivitatem, ubi ubi fuerint, quàm ſolemniſſimè poterunt, peragent, ſéque novo Spiritu, & affectu SS. Patriarchæ tutelæ conſecrabunt, oblato in ejus honorem, &Sodalium, Sodalitatísque incrementum ſanctiſſimo Miſſæ Sacrificio.

IX.

QVamprimùm Sodalium aliquis ægrotaverit, proximus quiſque Conſodalis eum inviſet, & ſi periculosè laborare cognoverit, ei aſſiſtet, & ad piè moriendum diſponet: quòd ſi contigerit ê vivis excedere, quantociùs Rectorem Sodalitatis, vel ipſum Sodalitatis Secretarium, ſive loci curatum de ejus obitu certiorem faciet, ut pro zelo, & debito officii ſui tempeſtivè Dominos

nos Consodales commonere possit de persolvendis consuetis pro ejus anima suffragiis prout sequitur.

X.

SInguli Domini Sodales Sacerdotes, ubi Consodalis alicuius etjam Sacerdotis obitum intellexerint, vel de eius obitu ab ipsa Congregatione certiores facti fuerint, statim unum *Miserere* cum Collecta, & deindè proximo quamprimùm die non impedito sacrum *Depositionis* pro eodem facient, & semel integrum Defunctorum Officium, ac Coronam divi JOSEPHI, vel B. V. recitabunt.

XI.

SIngulis quóque mensibus singuli sacrum unum, facient pro omnibus Dominis Consodalibus piè in Domino defunctis, & officium

umDefunctorum, ideſt. Nocturnum unum cum laudibus, & Coronam Divi Jpſephi, aut B. V. ſemel recitabunt, atque eorundem in alijs quóque ſuis ſacris, & orationibus frequenter meminiſſe ſatagent.

XII.

QVotannis omnes pariter ſemel Anniverſarium Defunctorum ſacrum cum integro Defunctorum officio, ac Roſario, pro ijſdem perſolvent, (& ſeorſim unam Miſſam pro omnibus totius Congregationis utriúſque ſexûs Conſodalibus fideliter peragent) & quidem ſolemniter ubi plures ſimul ſacerdotes ex vicinis locis convenire poterunt ſin minus, certè privatim; idque omnes die à Congregatione ſtatuenda, ac Dominis Conſodalibus intimanda.

XIII.

CÆteri verò religioſi, qui in hanc Venerabilem Sodalitatem per participationem, ſeu extenſionem admiſſi fuerint, tria ſacra per annum celebrabunt, aut celebrari facient, ac integrum Defunctorum officium, & Coronam S. Joſephi, aut B. V. ſemel perficient. Non ſacerdotes autem ſingulis añis unum ſacrum fieri curabunt, & ter ſacra exomologeſi animum expiabunt, & SS. Evchariſtiæ Sacramentum ſument; ac integrum B. V. M. Roſarium recitabunt ſingulíſque diebus ſabattinis Coronam De S. Joſepho ad eandem intentionem fideliter, ac devotè perſolvent.

XIV.

SEmel in anno, idque ipſo Anniverſarij die Conventum habebunt

buntin ſacello Patrocinij , ubi omnes aderũt,quâ par eſt devotione,ac modeſtiâ hunc Congregationis actũ celebraturi ; qui autem legitimè impediti fuerint per litteras ſe ſe excuſabunt , atque in ijſdem ſua vota pro eligendis DD. Officialibus aliiſque magis neceſſarijs providendis perlibenter exprimere, atque diligenter calamo annotare non dedignabuntur.

XV.

OMnes autem monitos eſſe volumus nullam per hæc ſtatuta ſub peccato obligationem imponi ; ſed tantùm eos , qui conſueta ſacra, ex culpabili ſua negligentia non peregerint , aut impediti ab alio fieri non curaverint oblatione , & fructu aliarum Miſſarum per D.D. Conſodales prohujusmodi Conſacerdotib⁹

peragendarum cum proportione ad Omiſſionem privandos eſſe. Quæ tunc cedent in levamen cæterorum huius Ven. Sacerdotum Coronæ, aut aliorum JOSEPHINÆ Congregationis Conſodalium reliquarúmque fidelium Animarum, quæ in piacularibus flammis detentæ, illis præcipuè egebunt, prout divinæ Bonitati ipſis per illas placuerit ſuffragari: quod etiam de illis intelligendum eſt, qui ſtatutas preces negligunt.

FASCICVLVS II.

In quo

Preces in Principio, & fine Congregationis dicendæ.

VEni ſancte ſpiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris

moris in eis ignem accende, qui per diverſitatem linguarum cunctarum gentes in unitatem fidei congregaſti.

℣. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.*

℟. *Et renovabis faciem terræ.*

℣. *Memento Congregationis tuæ,*

℟. *Quam poſſediſti ab initio.*

℣ *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

MEntes noſtras, quæſumus Domine, lumine tuæ claritatis illuſtra: ut providere poſſimus, quæ agenda ſunt, & quæ recta ſunt, agere valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

In

In fine Congregationis.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Confirma hoc Deus; quod operatus es in nobis.*

℟. *A templo ſancto tuo, quod eſt in Ieruſalem.*

℣. *Domine exaudi orationem ma-*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

PRæſta nobis quæſumus Domine, auxilium gratiæ tuæ: ut quæ te Auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

℣. *Re.*

℣. *Retribuere dignare Domine Benefactoribus nostris vivis, atque Defunctis vitam æternam.* ℟. *Amen.*

In Generali autem Conventu loco prædictarum precum fiunt Acclamationes, hoc modo.

Rector incipit.

PEractis ergò peragendis placeat Venerandis Patribus D. D. Confodalibus pro conclusione hodierni Conventûs nostri agere divinæ bonitati gratias?

℟. *Placet, placet.*

Rector.

SAcrosanctæ, & individuæ Trinitati, Crucifixi Domini nostri IESV CHRISTI humanitati, Beatissimæ, & glorioſissimæ ſemper virginis MARIÆ fœcundæ integritati, Beatissimo IESV CHRISTI

STI Nutritio, virgineóque Virginis ſponſo, Patrono noſtro Divo JOSEPHO, & Univerſæ ſacræ familiæ, ſancto Michaëli Archangelo, & omnibus ſanctis Angelis Cuſtodibus, Omniúmque ſanctorum Univerſitati, ſit ſempiterna laus, honor virtus, & gloria ab omni Creatura, nobíſque remiſſio omnium peccatorum per infinita ſæcula ſæculorum.

℟. *Amen, Amen, Amen.*

Rector.

BEatiſſimo in CHRISTO patri Domino noſtro, Domino N. ſanctæ, & univerſalis Eccleſiæ Romanæ Pontifici, CHRISTIANI nominis in omnes terrarum partes propagatio, cunctarum gentium obedientia, vera Pax, diuturna proſperitas.

℟ *Dmi-*

℟. *Domine Deus clemens & misericors sanctissimum Patrem nostrum* N. *Ecclesiæ tuæ conserva, mitte illi auxilium de sancto, ut eo gubernante gentes omnes illuminentur, & quæ dispersæ sunt, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.*

Rector.

AVgustissimo Imperatori nostro N. & omnibus Principibus Christianis zelus Catholicæ Religionis, Justitiæ & pacis fæcunditas, & ad conterrendos inimicos Christianæ fidei, vita, victoria, felicitas.

℟. *Augustissimum Imperatorem nostrum Catholicæ fidei Protectorem misericorditer custodi, & cum illo Christianos Principes ad communem fidei, æquitatis, & concordiæ conservationem.*

Rector

Rector.

REverendiſſimo, & Celſiſſimo Principi noſtro Domino Domino N. Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopo Labacenſi, ſalutaris in gregem ſuum vigilantia, & abundantia divinæ gratiæ, multi anni, & æterna memoria.

℟. *Omnipotens Deus ſuper Antiſtiten noſtrum Benedictionum tuarum dona multiplica, ut digna vocatione ſuâ operando cum grege ſuo vitam conſequatur æternam.*

Rector.

DIœceſi Labacenſi, & inclytis ejus Provinciis, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, divina gratia, ſalus animæ & corporis, abundantia frugum, & felix tranquillitas.

℟. *Benedic Domine filios tuos, & eſto in circuitu populi tui, Angeli tui ſancti*

Sancti habitent in nobis, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper.

Rector.

ILlustrissimis & Reverendissimis dictarum trium Patriarum Patribus, & locorum, in quibus nos Deus Presbyteros, & Animarum Pastores constituit, Ordinarijs Dominis nostris gratiosissimis, totíque earum Provinciarum Ornatissimæ Nobilitati, & Congregationis nostræ Fautoribus & Patronis, longæva vita, prosperitas, & cœlestis benedictio.

℣. *Amen. Amen. Amen.*

Rector.

BEnefactoribus Congregationis nostræ vivis & vitâ functis perpetuam memoriam, felicitatem, & pacem precemur.

℟. *Retribuere dignare Domine De-*

us Omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum vitam æternam. Amen.

Rector.

ANimabus defunctorum hactenus Dominorum Consodalium nostrorum esto Domine propitius & clemens.

℟. *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis*

Rector.

VNiversæ Congregationi Josephinæ, & nostræ sacerdotali Coronæ, concede Domine perseverandi gratiam, incrementum, progressum, & felicitatem.

℟. *Memento, ò Domine, Congregationis tuæ.*

Rector.

VNiversis præsentibus, & absentibus DD. Consodalibus nostris

ſtris conſtantem erga IESVM, MARIAM, JOSEPH, amorem & veneration em; mentis & corporis ſanitatem; Dei benedictionem; perſeverantiam finalem; & vitam æternam à Deo ſemper exoremus.

℟. *Exaudi nos Domine, exaudi, & concede nobis tuam gratiam, & felicem mortem, atque beatam æternitatem. Amen.*

Rector.

HIs pijs exercitijs, atqúe Devotionibus noſtris conſtanter inhærentes, digni reddamur miſericordijs, & gratiâ Primi, & Magni, Supremi ſacerdotis IESV CHRISTI, intercedente ſimul inviolatâ Dominâ noſtrâ ſanctiſſimâ Dei genitrice virgine MARIA, Beatiſſimo Patre, ac Patrono noſtro Divo JOSEPHO, totáque ſacrâ

familiâ CHRISTI, S. Michaële Archangelo, & SS. Angelis Cuſtodibus, omnibúsque ſanctis in gloria cœleſti.

℟. *Fiat. Fiat; Amen, Amen, Amen.*

Dictis Acclamationibus cantatur,

Te Deum Laudamus.

Quo finito dicuntur verſiculi & Reſponſoria cum Orationibus.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum ſancto ſpiritu.

℟. *Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.*

℣. Benedictus es Domine in firmamento cœli.

℟. *Et laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.*

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. Do-

℣. Dominus vobiſcnm.
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in Confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Mejeſtatis adorare Unitatem: Quæſumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur adverſis.

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine, perpetuâ mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſâ Beatæ MARIÆ ſemper Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitiâ, & æternâ perfrui lætitiâ.

SAnctiſſimæ Genitricis tuæ ſponſi quæſumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod poſſibilitas no-

ſtra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.

DEus, qui miro ordine Angelorum miniſteria, hominúmq; diſpenſas: concede propitius, ut à quibus tibi miniſtrantibus in cælo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum dominaris ſimul & mortuorum, omniúmque miſereris, quos tuos fide, & opere futuros eſſe prænoſcis: te ſupplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quóſque vel præſens ſæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore ſuſcepit, intercedentibus omnibus ſanctis tuis pietatis tuæ clementiâ omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Qui vivis & re-

regnas Deus in ſæcula ſæculorum.

℟. *Amen.*

℣. *Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum.*

℟. *Amen.*

℣. *Recedamus in pace.*

℟. *In Nomine* IESU-MARIÆ JOSEPH. *Amen.*

FASCICVLVS III.

In quo

Indulgentiæ, & Preces pro iiſdem lucrandis.

I. LUcraturus Indulgentias debet eſſe in ſtatu gratiæ, h. e. nullius gravis peccati reus.

II. Ad lucrandas Indulgentias præſcripta à Pontifice opera oportet

adimplere ; ſub illa enim conditione Indulgentiæ conceduntur.

III. Neceſsè eſt, ut minimùm opus ultimum ad lucrandas indulgentias requiſitum, fiat in ſtatu gratiæ. *Nakatenus in Palmeto cæleſti.*

Quæſtio. Indulgentia pro aliquo certo feſto conceſſa, quâ diei parte incipit, & deſinit?

℟. A primis Veſperis uſque ad Occaſum ſolis diei ſequentis.

Quæſt. *Quid per primas Veſperas intelligitur?* ℟. 1. Per primas Velperas à quibus plurimæ inchoantur indulgentiæ, ſeu potiùs lucrandarum indulgentiarum tempus, intelligi illud tempus, ſeu illam horam, quâ in Eccleſia majore, ſive Cathedralis ſit, ſive Parochialis, in aliqua civitate, vel oppido, recitari ſolent communiter juxta univerſalem Eccleſiæ, vel rectum Provinciæ, Civita-

vitatis, vel oppidi illius uſum. 2. Hanc horam incipere non ſolùm à tempore, in quo Veſperæ in Choro inchoantur, ſed ab eo etiam, quo ad Veſperas Campanæ pulſantur, aut pulſari ſolent, ut Hiſpali horâ ſecundâ poſt meridiem in hieme, horâ tertiâ in Vere. Vel à primâ, aut ſaltem mediâ ſecundâ pomeridianâ extra Quadrageſimam: in Quadrageſima verò horâ nonâ, aut mediâ decimâ antemeridianâ. 3. Quando Indulgentia datur pro feſto à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis, intelligendum eſſe id tempus, quo ſol jam planè ſub horizonte eſt abditus, ita, ut Indulgentiam pro ſancti Joannis Baptiſtæ die, qui longiſſimus eſt, decretam, adipiſcatur is, qui reliquis jam perfectis deſignatam Eccleſiam viſitat, in eáque orat, dum horizon planus (nam nul-

la hic montium eſt habenda ratio) ſolem ſecat, aut ſtatim poſtquàm totus planè occubuit. Undè S. Auguſtinus in Pſal. 29. dicit: *Veſpera fit, quando ſol occidit.* At quia ſolet circa ſolſtitium æſtivum occumbere horâ octavâ poſt meridiem, ideò horâ octavâ, aut dimidio quadrante poſt, poteſt utiliter ad lucrandas Indulgentias viſitari Eccleſia præſcripta.

Notandum 1. Quandò feſtum fori transfertur quòad ſolum Officium, ſeu horas canonicas, & ſacrum; non transfertur communiter Indulgentia illi feſto annexa, ſed obtinenda eſt die ordinario. Quandò verò feſtum transfertur etiam quòad forum, ita, ut tota Parochia aut ipſius pars à laboribus ſervilibus ceſſet illo die, in quem ex rubricis Breviarii fit translatio, tum etiam

cum

cum feſto transfertur jus & poteſtas lucrandi Indulgentiam. 2. Probabile eſt, illas etiam Indulgentias, quæ ſunt conceſſæ pro feſtis primariorum ſanctorum Religioſorum, transferri in illum diem, in quem ij Religioſi transferunt ejuſmodi Feſta, eſto ille dies à ſolis Religioſis, eorúmque familiaribus colatur ceſſatione à labore ſervili. *Ex Quinario R. P. Georgii Gobat.*

3. Cum Indulgentia Portiunculæ nullo modo conjuncta eſt Poteſtas abſolvendi à reſervatis, aut commutandi vota, ut ſingulariter notavit Rodriquez. apud cit. Gobat.

4. Sufficit una Communio pro duabus Indulgentiis, diverſis diebus, lucrandis, quarum aliàs utráque Communionem per ſe requireret, ſi modò dies illi ſint immediati; vel unus tantùm intermedius.

De-

debet tamen hoc casu Communio obiri die prioris Indulgentiæ. Sic qui in festo S. Ignatii 31. Jul. communicat, poterit lucrari Indulgentias. 2. August. in festo Portiunculæ, si tum omissâ Communione, reliqua peragat necessaria; tutiùs quidem esset, in hoc casu, utrâque die communicare, sed notare placuit hanc de una Communione doctrinam, in gratiam eorum, quibus fortè non licet toties sacræ Mensæ accumbere, ut ne interìm desistant conari per cætera opera requisita Indulgentiam lucrari. Undè etjam Eligius Bassæus verbo Indul. ait: Eum, qui confessus est, & communicavit quatuor ante diebus, & de novo non peccavit mortaliter, posse vi dictæ confessionis & Communionis obtinere Indulgentiam postea concessam, quæ ad sui con-

secu-

secutionem item requirat confessionem, & Communionem, idque esto non dixerit dictam confessionem, & Communionem ad hanc Indulgentiam comparandam. Ratio est, quòd ex una parte in moralibus quæ parum distant, nihil distare videntur: unde, & fictione Juris reputatur præsens, qui brevi adfuturus est; ex alia parte ad acquirendam Indulgentiam non requiritur Intentio Actualis, aut Virtualis, sed sufficit Habitualis, sicque non est opus, ut implens requisita ad Indulgentiæ consecutionem, ea ad illam dirigat actualiter, aut virtualiter, sed satis est quod ea dirigat habitualiter. *Ita apud cit. Comitolus, & alij.*

5. Occurunt non rarò eodem die plures Indulgentiæ, sive Plenariæ, sive cum Plenarijs non Plenariæ; vel à diversis Pontificibus, vel

ab

ab vno diversis Ecclesiis sint concessæ. Singulæ obtineri possunt, si pro Singularum acquisitione, requisita opera, quæ repeti possunt, repetantur. Quìn etiam una eadúmque Indulgentia (nisi hoc satis clarè in formula Concessionis prohibeatur) pluries uno die obtineri potest repetitis operibus præscriptis: qualia sunt pro Stationum Indulgentijs, devota Ecclesiæ designatæ Visitatio, & Rectitatio ibidem septem *Pater, & Ave*. Malè autem sibi consulunt, qui neglectis dierum & Annorum Indulgentijs ad solas plenarias attendunt. *Ita notatur in Exercitiis Christianæ Pietatis.*

6. Ad Quadragesimales Indulgentias Stationũ Ecclesiarũ vrbis, consequendas, non requiruntur Conditiones aliæ: quàm, vt 1. vel quis sit purus â peccato mortali, vel se ad con-

contritionem excitet, dolendo de peccatis in Deum admissis. 2. Ecclesiam Societatis IESU si ibi fuerit: alioquin aliam Ecclesiam uel Capellam, in loco, ubi pro tempore versatus fuerit, devotè visitet. 3. ut ibidem septies Orationẽ Dominicam, & septies salutationẽ Angelicã, recitet. *ex Colendario novo.*

7. Nomenclaturæ Indulgentiarum præter plenarias & non plenarias, magîs frequentes sunt Quadragena, Quarantena, Carena, & septenna. Est autem *Quarantena*, pœnitentia consistens in Communi modo jejunandi, quadraginta dies. *Quadragena*, est pœnitentia quadraginta continuis diebus jejunio (at non in solo pane & aqua) aut aliâ afflictione transigenda. *Carena*, est pœnitentia per quadraginta dies, in pane & aqua, &

siue

ſine conſortio humano facienda, Septenna, eſt pænitentia Septem annorum, data pro varietate delictorum; continua vel interrupta.

Vltimò. Per Indulgentias non remittuntur peccata, ſed temporalis pæna peccatis debita quam in hoc mundo ſecundùm antiquos & rigoroſos Canones pænitentiales, aliquot diebus, vel annis quis pendere debuiſſet. *In Exer. Chr. Piet.*

Et conſequenter per Indulgentias remittitur pæna Purgatorii, quam per eiuſmodi pænitentiam redemiſſet. Vndè acquirenti Indulgentiam mille annorum, remittuntur omnes pænæ Purgatorii, quas in hac vita redemiſſet, ſi pro ſuis peccatis, mille annis egiſſet eam omnem pænitentiam, quam Confeſſarius injungere debebat ſecundùm dictos Canones pænitentiales. Non

au-

autem fit hæc remissio pœnæ, nisi priùs peccata ipsa, vel per contritionem, vel confessionem remissa fuerint, quòad culpam.

Sum̃arium Indulgentiarum Congregationis nostræ ab Alexandro VII. in perpetuum concessarum.

Plenariæ.

PRimo die ingressûs in Congregationem. 2. In articulo mortis. 3. Quolibet anno in Festo S. JOSEPHI.

Septem annorum, & totidem Quadragenarum, id est: 280. *dierum.*

1. Dominicâ 4. post Pascha. 2. Dominicâ nonâ post Pentecosten. 3. Dominicâ ante Nativitatem B. MARIÆ V. 4. In festo Annunciatæ Virginis MARIÆ. D *Sexa-*

Sexaginta Dierum.

PRimò. Quotieſcúnque Sodales in loco Congregationis diviniſ Officiis, & Congregationibus publicis, vel privatis interfuerint. 2. Quoties pauperes hoſpitio ſuſcepe-rint. 3. Quoties pacem inter inimi-cos compoſuerint, vel componi fe-cerint. 4. Quoties Defunctorum cor-pora aſſociaverint ad ſepulturam. 5. Quoties quinquies Orationem Do-minicam, & ſalutationem Angeli-cam pro animabus Confratrum reci-taverint. 6. Quoties Proceſſioni-bus quibuſcúnque interfuerint. 7. Quoties SS. Sacramentum in Pro-ceſſionibus, vel ad infirmos comi-tati fuerint, aut impediti audito Campanæ ſigno ad id dato, genibus flexis ſemel orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam pro di-

&to infirmo dixerint. 8. Quoties devium aliquem ad viam salutis reduxerint. 9. Quoties ignorantes præcepta Dei, & ea, quæ ad salutem sunt necessaria, docuerint. 10. Denique quotiescúnque aliquod pietatis, seu charitatis opus exercuerint, toties prædictas 60. dierum Indulgentias consequuntur.

Indulgentiæ omnibus Christi Fidelibus communes.

1. *URbanus IV.* Omnibus, qui devotè salutationem Angelicam recitant Indulgentiam 30. dierum concessit.

2. *Paulus* III. dicentibus manè, meridiè, & vesperè, ter Ave MARIA, cum Antiphonis, quarum prima est: *Angelus Domini nunciavit MARIÆ, &c.* secunda *Ecce Ancilla, &c.* Tertia. *Et verbum caro*

factum est. &c. cum versu : *Domine exaudi*, & Collecta : *Gratiam tuam. &c.* Plenariam Indulgentiam concessit.

3. *Leo X.* Omnibus Christi fidelibus dicentibus unum *Ave MARIA.* Quandocúnque integra hora auditur, concessit mille dierum Indulgentiam, quam confirmavit Paulus V. *Apud Alanum Bouchout Dom. 3. post. Epiph.*

4. JOANNES XXII. Statuit, serò fieri pulsum Campanæ, ad quem, qui genu flectendo tria Ave MARIA dixerit, viginti diesIndulgentiarum habebit. *Discipulus in serm. De visitatione Deiparæ, qui est XXV. De sanctis.*

5. *Sixtus* IV. Omnibus Christi fidelibus præsentibus & futuris ubicúnque existentibus, qui tertiam Rosarii partem, seu quinquies

Pater

Pater, cum 50. Ave MARIA recitaverint, quínque annorum & totidem Quadragenarum Indulgentias concessit. Et consequenter 15. annorum, & totidem quadragenarum Indulgentiis potiuntur omnes, qui totum Psalterium orant. *Hanc gratiam, addit* Navar *fuisse à Pio.V. confirmatam.*

6. Omnes, qui in festis B. Virginis Annunciatæ, vel Assumptæ, vel Christi Resurrectionis sacrâ Communione refecti tertiam partem prædicti Rosarii recitaverint, decem annorum Indulgentiis, & totidem quadragenis gaudent ex concessione eiusdem *Pij* V. ut testatur *idem Navar.*

7. *Sixtus V.* Indulgentias tam formaliter, quàm causaliter, seu occasionaliter utilissimas impertijt omnibus religiosè proferentibus sa-

croſancta Nomina: JESUS, & MARIA. itémque Litanias de Nomine JESU, & Lauretanas recitantibus, ſicut in Bulla videre eſt: in qua ſic loquitur *Sixtus Pontifex*. Quia non eſt aliud nomen ſub cælo, in quo nos oporteat ſalvos fieri, niſi nomen JESV, ideircò omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, qui hoc modo ſalutaverint alios, nempè ſuo vulgari ſeu latino ſermone: *Laudetur JESUS Chriſtus*, & his, qui ſic reſponderint: *In ſæcula*, vel: *Amen*, aut: *ſemper*, utriſque tam ſalutantibus, quàm reſpondentibus Quinquaginta, ubicúnque id factum fuerit: Qui autem Nomen JESU nominaverint reverenter, vel nomen MARIÆ, viginti quinque dies: Qui verò in mortis articulo ore, vel corde (ſi ore non potuerint) idem nomen invocaverint, dummodò ante

ha-

habuerint consuetudinem sic salutandi, vel nominandi idem nomen JESV, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & Remissionem; Quique Litanias ejusdem SS. Nominis nominaverint, trecentos, qui Litanias ejusdem B. V. MARIÆ, ducentos; nec non Prædicatoribus verbi Dei, qui inter prædicandum ad hunc modum salutandi, invocandi, vel recitandi, seu nominandi nomen JESV & MARIÆ Auditores monuerint, & quicunque hanc salutationis formam usui esse curaverint, easdem Indulgentias, & peccatorum Remissiones consequantur, auctoritate, & tenore præmissis concedimus, & largimur. Volumus autem, ut prædictæ Litaniæ Nominis JESV, & B. MARIÆ juxta morem & consuetudinem in Romana curia, & domo

B. MARIÆ Virginis uſitatum recitentur &c. Hujus Indulgentiæ velim memorem eſſe meum Lectorem *ait. P. G. Gobat*, ſingulariter dum ex more *Virginem Matrem* ſalutat ad pulſum conſuetum, aut ejus coronam recitat, vel penſum Canonicum perſolvit, Miſſámque celebrat, cùm enim tam crebrò in hiſcè quaternis actionibus religioſiſſimis occurrant illa duo ſacratiſſima Nomina, occurrit quóque tunc ſæpiſſimè occaſio delendi tantas pænas Purgatorij, quantæ expiarentur, ſi peragereturardua pænitentia dierum XXV. dicetur autem rectè ille moribundus habuiſſe *Conſuetudinem reverenter nominandi Nomen JESV*, qui poſtremis vitæ annis tunc plerúmque cum reflexa, ſeu actuali reverentiâ, ſubmiſſionéque illud proferebat, quando occurrebat vel in

pre-

precatione, vel in alia actione. *Ita G. Gobat.*

8. Testatur P. *Bonagratia*, esse ad Instantiam Elisabethæ Reginæ Hisp. impertitam plenariam Indulgentiam, toties, quoties quis recitat sequentem oratiunculam:

AVe Virgo glorioſa, ſtella ſole clarior:
Mater Dei gratioſa, favo mellis dulcior;
Rubicunda plus quàm roſa, lilio candidior;
Omnis virtus te decorat,
Omnis ſanctus te honorat
In cælo ſublimior. Amen.

(o)

PRECES

Pro lucrandis Indulgentiis.

Ex

Libello Gertrudiano.

Oratio prima pro Eccleſia.

BEnigniſſime Domine JESV Chriſte, qui ſanctam Eccleſiam tuam in Sponſam elegiſti, eámque tanto dilexiſti amore, quòd vitam & ſanguinem tuum pro ea perfuderis: rogamus clementiam tuam, ut eandem pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum. Aſpice JESU clementiſſime, quàm pertinaciter ab hoſtibus ſuis oppugnetur. Aſpice quàm violentâ rabie portæ inferi adverſus eam conſurgant. Ne quæſo per-

permittas, ut adversus eam prævaleant: sed defende & conserva eam in magnitudine brachii tui. Intuere etiam, JESU piissime, quantâ negligentiâ & indecore divina tuâ officia peragantur, quàm sacer cultus tuus jaceat, quámque exigua scientia DEI sit in terra. Mitte igitur ferventes & indefessos operarios in Messem tuam, qui eam excolant, promoveant, & in horrea tua congregent. Concede etiam universis fidelibus tuis, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ obediant, eiúsque præcepta servent, & in omni bono de die in diem, ad majorem tui Nominis gloriam proficiant. Amen. *Pater. Ave.*

Oratio secunda, pro extirpatione Hæresum.

PIentissime Domine JESV Christe, verum lumen, ad illumi-

natio-

nationem gentium, obſecramu
clemeutiam tuam, ut reſpicias ſu
per interitu tot animarum, qua
fraude ſerpentis antiqui, & dece
ptione Hæreticorum in profunda
errorum tenebras inciderunt. O mi
ſericordiſſime JESV ! eſtnè poſſibile,
quòd miſeras illas animas, pretioſi
ſimo ſanguine tuo redemptas, à Sa
tana decipi, eiúſque poteſtati ſubd
patiaris ? Eſtnè poſſibile, quòd indi
es tot miſerandas animas, defectu
veræ fidei in abyſſum inferni detrud
permittas ? Recordare, ò Chriſte
JESV ! quot laborioſa itinera pro
ſalute earum ſuſceperis, quót
que vulnera, & plagas in redemptio
ne earum acceperis? Rogamus te igi
tùr per virtutem amariſſimæ Paſſio
nis & mortis tuæ, ut execrandas il
las Hæreſes funditùs extinguere, at
que indurata Hæreticorum corda ad

veram

veram fidem convertere digneris. Amen. *Pater*, & *Ave MARIA.*

Oratio tertia, pro Concordia Principum.

DVlcissime JESV, Author & amator unitaris & pacis, rogamus Clementiam tuam, ut omnibus Principibus Christianis pacem & veram Concordiam donare digneris, ut Ecclesia tua tranquillâ semper devotione lætetur. Recordare JESV pie, quàm multus innoxius sanguis per continuam bellorum tempestatem effundatur. Aspice, quàm multi in extremas corporis & animi angustias dejciantur. Ah JESV amantissime! qui pacem semper summè amasti, eámque Discipulis tuis toties apprecatus es: rogamus te per ineffabilem cordis tui amorem, ut Reges & Principes Christianos

anos pacificare, & arctiſſimo Concordiæ vinculo colligare digneris: ut plebs tua in quiete & pace gubernari, ínque tuo ſancto ſervitio confortari & conſervari mereatur. Quod nobis præſtare digneris per infinitam miſericordiam & benignitatem tuam. Amen. *Pater. Ave, cum alijs, ut ſuprà.*

NB. *Ad certiorem Indulgentiarum qualiúmcunque acquiſitionem, refert obſervare ſequentia.* 1. *Omnes à ſummo Pontifice, ut ſuprà jam inſinuatum eſt, indicatæ Conditiones obſerventur, impleantúrque religioſiſſimè, integerrimèque, ſequendo potiùs in praxi opiniones tutas, quàm ſolùm probabiles; quandoquidem probabilitas ſola fortè non facit, ut acquiratur reipſa Indulgentia.* 2. *Qui nequit ex valde veriſimilibus Indicijs conijcere, ſe eſſe in ſtatu gratiæ divinæ, conetur*

actum

actum Contritionis elicere, priusquam incipiat exequi opera ad Indulgentiam necessaria. 3. *Antequám ea inchoet, dicat, se illa offerre divinæ Majestati in eum finem, ut sibi, vel alijs si applicari possit) Indulgentiam propositam adipiscatur.* 4. *Ut tot Indulgentias, quot potest, applicet animabus Purgatorii; parabit sibi eâ ratione assiduos apud Deum Patronos, & Intercessores.*

Et quia non possumus scire, hæcnè determinata anima in Purgatorio detineatur, an potius alia? valdè consultum est, unam eandémque Indulgentiam plenariam applicare sub conditione quinque (in memoriam, aut cum memoria quinque vulnerum Christi) aut pluribus animabus diversis dicendo v. g. Domine Deus Indulgentiam, quam nunc acquirere intendo, offero tibi pro anima mei Patris, v. g. si eius capax, aut indiga est: sin mi-

nùs

nus, pro anima mei fratris N. *Quòd si nec ea indigeat hoc suffragio, tum cupio obtingere illi animæ, quæ est omnium desertissima, vel diutissimè in Purgatorio, vel quæ secundùm dispositionem, quam olim in corpore habuit, maximè omnium parata est ad hanc, aut illam virtutem à te pro me, ubi ad cælum venerit, postulandam. &c.*

Postremò. Quandoquidem plerique Religiosi, Sodales Confraternitatum, & Congregationum, aliique instructi benedictis Medalijs, & Rosarijs, ignorant habitualiter, vel actualiter, quãtas Indulgentias per suos bonos, frequentissimósque actus, præsertim per recitationem quinque aut septem Pater & Ave in Ecclesijs Regularium, aut in alijs (si ad Religiosorum venire nequeant) lucrari possint; ideò valdè expediens esset, ut quisque manè expressè diceret: Domine Deus, omnes

In-

Indulgentias hodiè quocunque titulo à me obtinendas, offero tibi pro Anima NN. aut pro decem animabus, quæ cùm essent illigatæ corpori, maximè omnium precabantur pro pace universali : summè omnium amabant, & colebant Virginem Matrem, & S. Josephum, venerabile Sacramentum. &c. Et rogo humillimè induc eam (vel eas) in gloriam, ubi pro me clementiam tuam deprecans felicem mihi obitum exoret, te verò laudet, & benedicat in æternum. Amen. *Ex P. Gobat Qinan. tr. 4. num. 724.*

(o)

FASCICVLVS IV.

In quo

Motiva ad devotionem, & cultum S. Josephi excitantia.

VEnerabilis P. Isidorus Isolanus Ord. Præd. in libro, quem de sancto Josepho conscripsit, atque ad sedem Apostolicam, à qua & probatus fuit, transmisit, prophetando, ut eventus docuit, sic inquit: Spiritus sanctus non deficiet à movendis cordibus fidelium, donec omne imperium militantis Ecclesiæ exultans, divinum Josephum novâ prosequatur veneratione, condat Cænobia, Ecclesias ac Altaria in e-

jus

jus erigat honorem, festa celebrabuntur, & ei vota vovebunt, & solvent cuncti. Aperiet Dominus aures præcordiorum intellectûs, & viri magni scrutabuntur interiora Dei abscondita in S. JOSEPHO, & invenient thesaurum optimum, qualem apud SS. Patres veteris testamenti non invenerunt: pinguedo enim, & abundantia donorum spiritualium in S. JOSEPH spiritualiter micuerunt, ita ut similis ei non inveniatur. Quæ omnia quasi ab ipso Isidoro oculis visa, ac post rem peractam pronunciata fuissent, eáque singulatim descripta, quæ multis annis posteà à S. Theresia, Theresianísque in honorem D. JOSEPH facta sunt. Percurre singula, ac deprehendes usque adeò cor Theresiæ à Spiritu sancto ad hujus Patroni cultum promovendum inflam-

matum fuiſſe, ut, quod ſolennitas illi per univerſum Orbem ſit inſtituta, monaſteriáque ac Templa non pauca in honorem ipſius dedicata, fuerit occaſio.

Ipſa verò S. V. Thereſia in ſuis monitis ſaluberrimis ſic omnes adhortatur: eſto multos Sanctorum in Patronos & Advocatos habeas, S. JOSEPHUM tamen nominatim in Patronum deligere non omittes, eò quòd is multa à Deo impetret: *Et vitæ ſuæ lib. c.6.* ſubjecta verè aurea habet verba: In Patronum verò & Dominum ſelegi glorioſum virum S. JOSEPHVM, ejúſque me Patrocinio unicè commendabam, liquidè deindè perſpexi ſanctum hunc Patrem & Dominum meum tam ab hac me neceſſitate, quàm ab aliis majoribus, in quibus de animæ meæ & honore, & perditione

tione agebatur, liberâsse, ídque majori meo bono, quàm eum rogare potuissem. Non memini me aliquid hactenus ab eo petiisse, cujus me compotem non reddiderit. Et verè admirationem merentur magna illa beneficia & gratiæ, quæ glorioſi hujus viri interceſſione mihi Dominus conceſſit, nec non pericula, tam corporis quàm animæ, à quibus me liberavit. Nam aliis ſanctis Deus gratiam dediſſe videtur, ut in una neceſſitate invocantibus ſe opitulentur, ſed hunc glorioſum virum ego experta ſum in qualibet neceſſitate adjuvare & adeſſe; adeò, ut Dominus nobis indicare velle, videatur, quod quemadmodum illi in terra viventi ſubditus fuit (nam ſicut Pater illius dictus fuit, cùm Nutritius ejus & Suſtentator eſſet, ita & imperare illi pro jure ſuo potuit) ſic

ei existenti in cælo nihil eorum, quæ petierit, denegct. Quod etjam alii nonnulli, quibus, ut ei se commendarent, suaseram, reipsa experti sunt. Vndè jam plurimi sunt, qui singulari quodam affectu erga eum feruntur. Hoc porrò verum esse ipsa rursus in illis experta sum, omni, quâ mihi possibile erat, solennitate & pompâ festum eius celebrare procurabam. Persuadere omnibus omninò vellem, ut mirificè erga hunc virum glorioſum afficerentur, quod sæpius experta sum varia illum bona & gratias à Deo obtinere. Niminem, inquam, novi, qui cùm verè & ex animo illi devotus esset, & particularibus quibusdam obsequijs eum coleret, non plus per ejus opem visus sit in virtute profeciſſe. Mirum enim in modum illos,

ut in

in ea proficiant, juvat, qui se ei commendant. Iam aliquot (si benè memini) elapsi sunt anni, quibus semper die ejus festo aliquod ab eo donum posco, & semper id mihi datum fuisse comperio, & si fortè petitio mea usquequaque recta non sit, ipse eam ad majus meum bonum dirigit, & rectificat. Si essem, quæ aliquam ad scribendum authorithatem haberem, quam libentissimè me in beneficijs, quæ glorisus hic Vir, tam mihi quàm alijs personis est elargitus, Singulatim enarrandis effunderem. Hoc solùm ex amore Dei peto, ut quis quis mihi dicenti non credat, experiri velit: & reipsâ & experientiâ sentiet, quantum Sequetur boni ex eo, quod glorioso hic Patriarchæ se quis commendet, & eum particulari aliqno

obſequio colat, ſpeciatim illi, qui orationis ſtudio tenentur, ſemper eum Patronum diligere deberent, & erga eum affici. Neſcio enim, quomodò de Regina Angelorum meditari quis poſſit, præſertim de tempore illo, quo tam multa cum parvulo IESV pertulit, qui non ſimul S. IOSEPHO ob opem & obſequium eis tunc impenſum gratias agat. Qui Magiſtrum & Inſtructorem non habet, à quo orandi rationem & modum diſcat, glorioſum hunc virum in Magiſtrum deligat, & eo præeunte haud errabit. *Hactenus loco citato S. V. Thereſia.* His & ſimilibus nos permoti argumentis ad promovendum eiuſdem ſanctiſſimi Patriarchæ cultum, & ad impetrandum felicem, ac beatum ex hac vita exitum, celerémque ad æterna gaudia, per pia ſuffragia, tran-

transitum exorandum, Confraternitatem, cui omnis statûs & conditionis homines maximo numero adscripti sunt, in Rossulah Ecclesia filiali B. M. V. in honorem sanctissimi Agonizantium Patroni, variis terrarum partibus recepti, miraculis clari, auxiliis prompti, Custodis Virginitatis MARIÆ purissimi S. JOSEPHI, condignâ solennitate, maximâque gestientis populi satisfactione ac fructu instituimus. Quam pietatem ac devotionem summus quóque Pontifex Alexander VII. non modò probavit ac confirmavit, verùm etiam perpetuis Indulgentiis ditavit.

(o)

ALIA MOTIVA

Ad eundem finem.

I.

QUia DEUS B. JOSEPH ab æterno amavit, & poſt Deipa-ram, ſuper omnes alios Sanctos exaltavit. Elegit enim eum ex omni carne, ut eſſet Deo affinitate proximus ; DEI Patris in terra Vicarius; DEI Filij temporalis Nutritius ; nec non ejuſdem Cuſtos, Spiritus ſancti Conſponſus MARIÆ ſemper Virginis, totius ſanctiſſimæ Trinitatis Secretarius; Summi operis DEI Cöadjutor fideliſſimus ; Divinus Interpres dulciſſimi JESU Nominis ; Et vir & Adjutorium ſimile MARIÆ.

Et

Et quod *nullus Sanctus in Cælo sit major S. JOSEPHO post B. Virginem Benedictam ; testatur* Bernardinus de Bustis.

Sicut sol in lumine excedit omnes Planetas ; ita sanctissimus JOSEPH omnes sanctos DEI sanctitate & gloria superat. Joannes Gerson.

In comparatione gratiæ & gloriæ sanctissimi JOSEPH cum gratia & gloria aliorum Sanctorum existimo pium & verisimile, Sanctum hunc, reliquos omnes, etiam Apostolos in gratia & beatitudine antecellere. Quia post Virginem propinquissimè attigit Christum, & singularem cum eo conjunctionem habuit. P. Suarez.

B. Virginis sponsus puta S. JOSEPH, erit in hoc consessu nobilis, quia post B. Virginem censetur inter primos sanctos. Quare inter Prophetas & Apostolos considebit, imò inter primos Angelorum Or-

Ordines illuſtris & conſpicuus apparebit. Gregorius Magnus.

Tantæ fuit dignitatis iſte ſanctus, quod æternus Pater ſui primatus ſimilitudinem ei ſuper incarnatum filium condonavit. S. Bernardinus Senenſis.

Quotquot celebrat Antiquitas Sanctos, ſervi omnes dicti fuerunt & Miniſtri Chriſti, hic autem B. JOSEPH *Pater eſt illius, & illi ſubditus Chriſtus fuit, cui unquam Angelorum aut Sanctorum aliquando dixit Deus, Pater meus es tu, ſicut* S. JOSEPH, O *Te felicem* B. JOSEPH *cui datum eſt, quod nulli hominum, aut Angelorum conceſſum eſt!* Chriſtophorus à à capite fontium Archiepiſcopus.

Sicut MARIA *ab æterno prævisa fuit in Matrem Filii* DEI, *ita &* JOSEPH *in Nutritium atque Cuſtodem Chriſti, &* MARIÆ *electus, & ideò convenientibus officio donis ornatus eſt,*

est, ut de eo intelligatur illud Davidi-cum: præveniſti eum in Benedictionibus, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Echius.

DEUS immortalis! cui ſimilem faciam S. IOSEPHUM *putativum Patrem, niſi tibi Chriſto Domino, ac Virgini Matri.* Iſolanus.

IOSEPH *fuit Chriſto ſimillimus in facie, & in cæteris diſpoſitionibus corporalibus, & per conſequens formoſiſſimus.* Iuſtinianus Martyr.

Sicut decuit, ut Virgo ſumma puritate niteret; ſic etiam decuit, ut habeat ſuo modo parem ſponſum puriſſimum, qui cum perpetua Virgine Virgo permaneret, uterque regali progenie illuſtris, utérque ſanctificationem in utero recipiens. Gerſon. *Beatiſſimus* IOSEPH *fuit ſuper omnes homines purus, ſimilis Virgini glorioſæ.* Idem in ſua Ioſephina Gerſon.

San-

Sanctus IOSEPH *Auctori salutis nostræ, materiam ad conficiendum pretium pro redemptione nostra suppeditavit: consequenter salutis nostræ Auctor quodammodo extitit.* IustinusMichovienſis.

O *Admiranda prorsus* IOSEPH *sublimitas! O dignitas incomparabilis! nescio, quænam sit major vel sublimitas in* IOSEPH, *vel humilitas in* IESU. Ioan. Gerson.

In tantam enim exaltatus est dignitatem, ut Matris DEI, *cui inter puras creaturas sanctitate, & dignitate nihil est æquale, meruerit esse verus sponsus, & verè unigeniti Filij* DEI *Pater nuncupari. Quibus duobus privilegiis & titulis auctus est suprà omnes Patriarchas & Prophetas, qui ante eum fuerunt. Quibus si adjungas, quod quem Reges & Prophetæ desiderarunt videre, & non viderunt au-*

audire, & non audiêrunt: ipse non solùm vidit, & audivit, sed in ulnis sæpè portavit: frequenter amplexus, & osculatus est: per plures annos cibavit, vestivit, & paternis officiis ipsi ministravit. S. Hieron.

II.

QUia Christus Dominus ac Salvator noster in terris existens B. IOSEPH summè dilexit. Ita ex Historia orientali quidam referunt, Christum cum suis Discipulis de vita S. IOSEPH collocutum, inter alia dixisse: *In rebus omnibus ita cum* IOSEPHO *agebam, velut Filius eius essem, eum ego Patrem vocitabam, vicissim ipse me Filium appellabat, eius omnes nutus & imperia sequebar, &* IOSEPHUM *Patrem meum non secùs, imò plus quàm pupillam oculorum meorum diligebam.*

O Quoties IESU! maximè in gremio IOSEPH quievisti, eius collum tuis teneris stringens brachiis, illius hærens pectori ac humeris! exclamat Isolanus.

Et etiam Bernardinus senensis: O *quanta, inquit, dulcedine audiebat IOSEPH balbucientem parvulum se Patrem vocare.*

O *sanctissime IOSEPH si Petrus semel tantùm videns gloriam & pulchritudinem IESU transfigurati, dixit: bonum est nos hic esse; quid tu dicere debeas, cui non semel, sed sæpiùs, ut piè creditur, suam benedictus IESUS transfiguratus in corpore gloriam ostendit?* Bernardinus de Bustis.

III.

QUia Christus etiamnùm in cælis B. IOSEPH ampliùs diligit, utpotè nihil eorum; quæ petierit,

tierit, denegat; *ut Seraph. M. Thereſta cap.* 6. *vitæ ſuæ*, & quomodo denegaret? cùm gaudeat & lætetur, dicente Iſolano : *Cùm* DEI *Filius intueatur in lumine gloriæ ſuæ, quempiam affici* JOSEPHO, *illius ſtudere honori, eius implorare ſuffragia, gaudet profectò, & ut filius ſuum Nutritorem honoret, annuit votis, exaudit clementiùs, & pro paterna gloria abundantiùs munera invocantibus effundit cæleſtia.*

Sicut enim Chriſtus in hoc mundo voluit ſubditus eſſe JOSEPH, *ita etiam in Cælis exiſtens nihil ei pro nobis interpellanti negat quin imò omnia libentiſſimè concedit. S. Thereſia.*

Cum quâ convenit Echius, quod *quidquid Filium ſuum rogaverit* IOSEPH *ejus repulſam paſſurus ſit nunquam.*

Et concludit Gerſon: *Quidquid Deus vult dare gratiarum; Vult dare per manus MARIÆ & IOSEPH.*

4. Quia CHRISTUS Dominus Morituro aſſiſtens JOSEPHO (ut habetur ex Orient. Hiſt.) promiſit ſe modicam devotionem in honorem ſui Nutritij exercitam, liberaliſſimè recompenſaturum. *Et ego benedicam ei, & ero auxiliator omni homini in Eccleſia juſtorum, qui in die memoriæ tuæ ô IOSEPH Deo Sacrificium obtulerit, & meditabitur in vita tua, in laboribus tuis.* Apud Mor.

5. Quia beatiſſima virgo ſanctum JOSEPH tanquam ſponſum ſibi de Cælo datum & Tutorem ſuum Fideliſſimum reverebatur, in omnibus conformando ſe voluntati ejus. Ita retulit S. Brigittæ.

6. Quia Angeli ſuam in JOSEPHO ſimilitudinem agnoſcentes, am-

ambitioso famulatu ad eum ferebantur, summum honorem & reverentiam exhibentes, & defactò exhibent, eò libentiùs cùm omnes novem Angelorum choros, in eo, dum adhuc in terris degeret jam expressos cum gaudio intuerentur. Erat enim puritate Angelus. In defensione gloriæ CHRISTI Archangelus zelosissimus, Virtute potens adversus hostes. Potestas Ecclesiæ. Principatus Vxoris. Dominatio ipsius Dei. CHRISTI Thronus. Sapientiâ Cherubin. Caritate ardens Seraphim. Hinc pulchrè Sylveria: *Adeo*, inquit, *Cum JOSEPH Angeli delectabantur, ut occasiones quærerent, ut frequenti ejus allocutione fruerentur.*

7. Quia sancti in Cælo regnantes, honorant sanctum IOSEPH, ad solum nomen ipsius capita sua in-

clinantes. Ita vidit S. Gertrudis manens in exſtaſi dū in tempore officij divini in Vigilia Annunt. B.V. MARIÆ fieret mentio Nominis S. JOSEPH. lib. 6. Revel. Cap. 12.

8. Quia non ſolùm ſancti, ſed Deus Jpſe Pater & Filius cum SS. Matre ſua S. JOSEPHUM honorant, quo honore excitatur Reverendiſſimus Archiepiſcopus Chriſtoph: à Capite fontium ſerm: de S. JOSEPHO monet omnes his verbis: Itaque JOSEPHUM iuquit. *Debito veneremur honore in terris quem Deus Pater honorificat in Cælis, quem DEUS Filius, ut Patrem, ut hoſpitem agnovit in terris, honorat in cælis, quem eius Mater utique veneratur ut Maritum.*

9. Quia Sancti omnes totius cæleſtis Curiæ ex honore, qui S. JOSEPHO, in terris exhibetur, ſummum

mum habent gaudium & applaudunt. Ita Isolanus : *Tota*, inquit, *Curia cælestis applaudit, quando Salvatoris Nutritor honoratur.*

10. Quia Sancti, dum viverent in hoc mundo illum coluerunt, ipsíque specialiter erant devoti. Agmen ducit Seraph. V. & Mater Theresia. S. Bernardinus Senensis. S. Franciscus Salesius. B. Casparus Ord. Minorum. B. Margaretha de Castro, Ord. S. Domin. B. Agatha à Cruce, aliíque innumeri Viri antiqui, docti & sancti, qui de S. JOSEPH multa præclara scripserunt.

11. Quia diversæ Religiones & Congregationes devotæ S. JOSEPHVM, pro speciali Patrono & Protectore elegerunt, sicut inter primos sunt Carmelitæ, Carthusiani &c. Reges quoque, Duces, & Principes, sicut Augustissimus Im-

perator Leopoldus I. ſuarum Hæreditariarum Patriarum & Regnorum. Sereniſſimus Elector Bavariæ Ferdinandus Maria, ſuæ Ditionis Patronum elegerunt, & alii. Sub ipſius titulo eriguntur Eccleſiæ, Altaria, Confraternitates, ſecundùm Prophetiam V. P. Iſolani.

12. Quia S. IOSEPH ſuccurrit & præbet auxilium ſibi devotis, & ſe invocantibus, in omnibus neceſſitatibus & periculis tam ſpiritualibus, quám corporalibus. Locuples teſtis eſt Seraph. V. & M. Thereſia: *Aliis ſanctis*, inquit, *DEUS gratiam dediſſe videtur, ut in una neceſſitate, invocantibus ſe opitulentur, ſed hunc glorioſum virum ego experta ſum in qualibet neceſſitate adiuvare & adeſſe.* Et S. Thomas Doctor Angelicus etiam ait: *Quibusdam ſanctis datum eſt in aliquibus ſpecialibus cauſis*

præ-

præcipuè patrocinari : at SS. IOSEPH *in omni necessitate, & negotio concessum est opitulari, & omnes ad se piè confugientes defendere, fovere, & paterno affectu prosequi.*

13. Quia S. IOSEPH in itineribus constitutos à manifestis periculis præservat. Ita Gratianus de quodam Ord. S. Benedicti Religioso, quem in monte in tenebris inter latronum ferarúmque timores errantem S. IOSEPH (cujus ille in Ægyptum profectionem solebat crebriùs meditari) cum IESV, & MARIA solatus est. Visus enim illi est vir, qui secum duceret fæminam honorabili aspectu, & cum suavissimo inter amplexus parvulo, ita planè insidentem asello, ut S. IOSEPHI iter in Ægyptum pingi consuevit. Hunc de itinere ad eum, quem destinabat, locum interroga-

rogavit religioſus pater, atque ab eodem comiter eò uſque deductus eſt, ubi jam iter certum erat, & rectum. Intereà per iter de divinis collocutus religioſus cum viæ ſuæ duce, ſentiebat ſibi cor teneritate ſanctâ ardeſcere. Vbi ad eum locum ventum, ubi duce jam non egere videbatur is, qui erraverat, videri Duces optimi deſiêre, agnoſcente tum demùm IESVM in parvulo, MARIAM in fæmina; IOSEPHVM in Duce, religioſo patre.

Non diſſimile à Reverendiſſimo Didaco.

YEpes Epiſcopo Taraconenſi narratur: cùm enim V. M. Thereſia cum aliis Ordinis ſui ſanctimonialibus proficiſcens à via aberraſſet, atque inter prærupta montium, & vallium præcipitia, per tene-

nebras hæreret anxia, sic filias sibi socias allocuta est: Eja, eja amantissimæ sorores, hoc solum habemus residuum, ut oculos nostros ad Dominum humiliter convertamus, sanctissimíque IOSEPHI patrocinium deprecemur, & tam ingenti ruinæ periculo, auxilium imploremus. Et ecce, ex altissima voragine, humana vox, quasi cujusdam viri grandævi proclamantis, audita est: sistite, sistite iter, ulterius ne progrediamini, nec moveamini, peribitis alioquin absque dubio præcipites; ac semitam, quâ incedendum indicans, præsentissimum discrimen evaserunt; hominem autem illum frustra quærendum pia Mater monebat: Erat enim, inquit SS. IOSEPH qui à periculis nos liberavit, viam nostram direxit, & in tuto collocavit.

14. Quia S. IOSEPH, etiam in flammis, ſibi commendatos tuetur. Experta eſt mulier Camilla nomine, quæ, cùm nepotem ſuum quinquennem IOSEPHVM nomine in repentino flammarum vortice relictum S. IOSEPHO commendaret, reverſa, ſe ab eodem, quem mortuum rebatur, compellari ſenſit, Ioſephulúmque ſuum ſoſpitem, ac ſubridentem vidit & quis eò tam multis ereptum periculis perduxiſſet, quæſivit? reſpondit alacriter puerulus? *ſanctus IOSEPH*, inquit manu præhenſum per flammas medias, huc ociſſimè me perduxit incolumem, ubi jam diu, te morror. *Ita Iul. Cæſ. Recup. apud Henr. Engeg. p.* 1. *cæl. Panth. in Feſto S. IOSEPHI.*

15. Quia S. IOSEPH Adjutor & protector eſt navigantium, qui in per-

perpetuo verſantur periculo ſpeciale eſt in hac materia exemplum illud, quod refertur à Gratiano de duobus illis ex Ordine S. Franciſci Patribus, qui, eâ quâ vehebantur navi cum trecentis aliis mersâ, duo in tabula ſuperſtites trium dierum, & noctium intervallo ſe divinæ providentiæ ſub S. IOSEPHI, quem flagranter, ut opem afferret, vocabant, præſidio ſe permisêre. Nec illos fefellit Fiducia. Etenim à S. IOSEPHO in portum deducti, cùm, ecquis ille dux eſſet, rogarent, audiêre: *Ego ſum S. IOSEPH.* Ad hæc ſeptem ſuorum dolorum, & gaudiorum myſteria illis explicuit, ſuúmque illis auxilium abundè pollicitus, qui ea quotidiè fuerit reveritus ſeptem orationibus dominicis, totidémque ſalutationibus Angelicis quotidiè in S. IOSEPHI honorem recitatis.

16. Quia

16. Quia S. JOSEPH, fuit Cuſtos boni Nominis; honeſtatis & famæ SS. Deiparæ ſponſæ ſuæ apud homines, ita etiam eſt Cuſtos & protector Virginum, Matronarum, & honeſtarum Mulierum, earum præcipuè, quæ in aliqua difficultate conſtitutæ periclitantur. Ita Doctiſ. Joannes Echius hom. 1. de S. JOSEPH. IOSEPH, inquit, à *Deo electus fuit Cuſtos* MARIÆ *ſuæque intemeratæ pudicitiæ & Virginitatis*, *Nominis quoque & famæ melioris in Iudæa ſimul & Ægypto. Quo nomine etiam Virgines & Matronæ honeſtæ nominis ſui & honoris integritatem* S. JOSEPH, *Debent committere, tunc præcipuè, quando loca adeunda ſunt parum tuta, à quo ſecuritatem poterunt fideliter ſperare.* Hucuſque Echius.

17. Quia S. JOSEPH viduis & Or-

Orphanis opitulari ſolet, & ſingularis eſt Pater pauperum. Curam hanc exercuiſſe in S. M. Thereſia liquidò conſtat: huic enim cùm media ad proſequendam incæpti monaſterij fabricam deeſſent, ad Patrem pauperum recurrit, & illico ei apparens juſſit, ut à cæpto nequaquam ceſſaret, pecunias illi non defuturas: Nec defuerunt. Etenim inſperatò planè ab ijs manibus affluebant, à quibus Thereſia nil ſperabat, & conſcij ſtupebāt indè ſuppeditari ſubſidia, undè minimè ſperebantur. Sicque virgo inops media ſufficientia habuit, & ſuam fabricam feliciter finivit. *Ribera in ejus vita.*

Legitur in hebdomada S. IOSEPHO ſacrâ, Ingolſtadij impreſſa, de quodam pauperculo, qui ante annos paucos Confeſſario ſuo dixit, ſe in extrema neceſſitate ad S. IOSE-

PHI

PHI beneficentiam deſtinatis precibus confugiſſe: ac manè ê ſomno experrectum, in ſuo lecto aureum torquem reperiſſe, & pro illo tot ſcuta acquiſiviſſe quot urgens illa neceſſitas expoſcebat.

18. Quia *S.* IOSEPH in deſperatis infirmitatibus ſuâ ope, & præſentiâ, pluribus ſibi devotis adeſſe viſus eſt, *S*ic Ioanna ab Angelis Laudani Vrſulinarum Antiſtita in deſperatoMorboS. IOSEPHUM *S*oſpitatorem ſibi præſentem vidit. Alijque plures hanc gratiam ſunt conſecuti.

19. Quia S. IOSEPH morbis animæ medetur, præſertim ſuggeſtiones diabolicas & tentationes fugando. Teſtatur R. P. Paulus Barry in alimentis pietatis erga S. Ioſephum de quodam Iuvene, qui ſolo Conſpectu imaginis S. Ioſephi

à gra-

à gravibus tentationibus liberatus fuit. De quodam alio idem testatur, quod pronunciando solum Nomen S. Iosephi diabolum debellârit.

Religiosus quidam quotidiè perferens insultus diabolicos, proposuerat per novem dies in honorem S. IOSEPHI strictum servare silentium, quibus expletis remansit liber à tentationibus usque ad finem vitæ.

Quædam Monialis ob continuas tentationes planè desperabat de sua in Religione perseverantia, ubi cæpit vacare devotioni in meditandis Doloribus & gaudijs S. IOSEPHI mox consolata remansit.

Quidam similiter recitando Litanias S. IOSEPHI liberatur à cogitationibus impuris sin autem aliquo die intermisisset, iterum impugnabatur.

20. Quia

20. Quia S. IOSEPH Succurit in desperatis casibus. Vrsulinæ optabant Lambesij in Provincia sedem figere at ob varias difficultates denuò reverti volentes, prius statuunt per novem dies Litanias S. IOSEPHI recitare, & his necdum finitis, voti sui compotes efficiuntur.

Lugduni quidam juvenis retractus aliorum persuasione ab ingressu Religionis, insolenter & pessimè vixit in sæculo (præsertim dum esset in militia) & cùm jam desperatus esset, Parentes ipsius obtulerunt eum S. IOSEPH sicque mutavit vitam & sanctè obijt.

Parisijs quidam Nobilis insignis per annos quinque Vitam dissolutam & desperatam plane duxit, nihilominus postquam pro ejus salute oblata sunt Deo novem missæ Sacrifi-

crificia de S. IOSEPH, totaliter mutavit vitam ſuam alius ibidem to taliter deſperatus, modò volebat confiteri, & licet aliquando incœpit Confeſſionem, finire tamen non poterat. Ex Conſilio itáque Confeſſarii recitavit novies Hymnũ de S. IOSEPH, adjungendo ſolitam ejus Sancti Oratiunculam, poſtmodum ſummâ cum contritione confeſſus ſua peccata, feliciter vitam ſuam finivit.

Nobilem quendam Venetum ex Iſidoro affert Gratianus. Hic Venetiis opulentæ fortunæ vir nullum diem abire ſinebat, quin coram S. JOSEPHI imagine in muro depicta conſuetas preces exequeretur. Ægrum hunc ſuum Clientem S. JOSEPHUS inviſit; & ſalutis negligentem, periculi mortis etiam æternæ admonuit. Agnovit æger ſanctum

ſuum illi, coram quâ illum quotidiè ſalutabat imagini vultu perſimilem, ac tantâ repentè de peccatis ſuis introſpiciendis luce perfuſus eſt, dolore tanto concuſſus, amore tanto accenſus, ut verè DEI digitum in ſe agnoſceret. Accitóque Confeſſario poſteaquam particulatim ſingula expoſuit, ſtatim atque abſolutionis formam accepit, expiatam animam in JOSEPHI amici verè ad finem uſque fidelis manus dedit.

21. Quia S. JOSEPH tuetur à Veneficiis, id magæ, ſeu ſtrigæ recognoverunt officiosè Lugduni quod non poterant ſuis maleficiis nocere illis quicunque in Baptiſmo ſortiti erant nomen S. IOSEPHI & ſunt ſub eius patrocinio: etiam Diaboli pertimeſcunt nomen ejus, & de corporibus obſeſſis cedunt.

Quidam vir nobilis amiſerat per ar-

artem magicam filios&omnem prolem ſuam, dúmque ſummè afflige-retur, ſupervenit quidam, olim arti magicæ vacans, conſuluítque ipſi, ut filio, qui ipſi priùs naſceretur, imponeret nomen Joſeph, quod ubi fecit, feliciter ſalvavit proles reliquas.

22. Quia S. JOSEPH ſibi devotos tuetur à peſte. Graſſabatur in Galliis ubique peſtis, & quia Civitatis Avenionenſis Incolæ fecerant votum ad S. JOSEPH omnes manſerunt liberi à contagione peſtis.

Eandem DEI gratiam recepit Lugdunum, & ob hanc receptam Anno Domini 1658. Civitas illa publicè ſuum votum S. IOSEPHO perſolvit.

Ibidem quicúnque annulos cum nomine S. IOSEPHI impreſſos in ſuis portâſſent digitis, à Contagio-

ne peſtis liberi omninò manebant. SimiliterConfeſſarius quidam nomine Melchior Faugius, & alii deſervientes hominibus peſte laborantibus, ſolùm commendando ſe S. IOSEPHO ſani & incolumes evaſerunt.

23. Quia deníque prægnantibus mulieribus opitulatur in partu. Cujus rei teſtimonium exhihent tot tabellæ, ſeu anathemata appenſa ad AltareS. IOSEPHI in civitateLugdunenſi, ſpecialiter propter hanc receptam gratiam.

24. Similiter quia pacem & concordiam inter conjuges conciliat. Zelotypiæ morbo laborantes ſanat. Parentibus ad ſe devotè confugientibus prolem obtinet: multis infirmitatibus, morbis, capitis doloribus Colicis afflictionibus, febribus, & aliis preſſuris corporis & animi S.

10.

IOSEPH medetur : prout id fusè narrat *R. P. PAULI Barry in ſuis Alimentis pietatis*. Ex quo deſumpta ſunt hæc exempla.

25. Inſuper S. IOSEPH recurrentes ad ſe, adjuvat in recuperando & inveniendo, ſiqui charum aliquid aut pretioſum amiſerint. Ita Devotus S. JOSEPHI Cliens Joannes Gerſon, aſſerit, & ejus rei teſtem adducit quendam è ſuis amicis, qui rem ſibi admodùm charam & pretioſam perdens, ad hujus ſancti opem recurrens, planè miraculosè reperit & recepit. Et verò ſimile eſt ſanctum IOSEPHVM facilè gratiam iſtam ad ſe in tali paſſu recurrentibus præſtare, utpotè qui in duodenni Chriſti Jeroſolymis amiſſi jactura, experientia ipſa didicerit, quantum dolorem afferat amittere quippiam charum & pretioſum,

quod prudenter amatur, ideò tales consolari non omittit.

26. Quia sanctus Ioseph specialis est patronus, & auxiliator Agonizantium, impetrátque bonam mortem ijs, qui sibi sunt devoti, quod apertis constat exemplis, quæ refert Isolanus. Et unum sanctus Vincentius Ferrerius in hæc verba: si vultis habere societatem (Iesu Mariæ Ioseph) vobiscum, faciatis, sicuti faciebat unus Mercator Valentinus, qui quolibet anno in die Nativitatis invitabat unum pauperem senem, & aliquam mulierem habentem filium parvulum, qui repræsentabant sibi Virginem cum Filio, & Ioseph. De quo fuit revelatum, quod in morte apparuerunt sibi Virgo cum Filio & Ioseph dicentes; *Quia recepisti nos in domo tua, ideò recipiemus te in domo nostra.* Sic sanctus Vincentius.

Hinc

Hinc venerabilis Henricus Canonicus Caruten. unâ cum doctissimo Gersone sentiunt & firmiter tenent: *Non posse damnari eum, quem in suam protectionem acceperit S. Joseph.*

27. Tandem, quia valet nimirùm sanctissimi Josephi Patrocinium ad extremum & tremendum Dei judicium ut graviter & devotè precatur, Archiepiscopus Christoph. à capite Fontium Hom. de sancto Joseph. his verbis: *Quàm vellem hujus B. Josephi inter servos me Christus in tremendo illo judicii die dignosceret, atque pro me peccatore precante diceret. Rex optime pro isto Josephus orat. Transfer hunc hædum mihi, sit dexter Agnus, induatur vellere, atque inter benedictos Patris mei Filios in æternùm numeretur. Amen, Amen.*

Concluditur verbis Seraphicæ Virginis & Matris Theresiæ, ob Dei a-

morem obſecrantis, ut qui non credit, probet & reipsâ experietur, quanta felicitas ſit, ſub Patrocinio hujus glorioſi Sancti manere, ipsíque devotum eſſe verba ipsâ Thereſiâ digna ſubjunguntur: *Hoc ſolum*, inquit, *ex amore Dei peto, ut quiſquis mihi dicenti non credat, experiri velit, & reipsâ & experientiâ ſentiet, quantùm ſequatur boni, ex eo, quòd glorioſo huic Patriarchæ ſe quis commendet, & eum particulari aliquo obſequio colat.* Plura legi poterunt ex Alim. piet. R. P. Pauli Barry. Et Hebd. ſancto Joſepho ſacra Ingolſtadii Anno 1661. impreſſa. &c.

(o)

MEDITATIO COMPENDIOSA

De

Ortu, & obitu S. JOSEHI.

Item

De ejus in cælo gloria, unde nobis poteſt auxilium ferre.

SAnctus Ioſephus natus eſt in Oppido Nazareth Galilææ ditionis, quæ una eſt è Provinciis Palæſtinæ. Pater illi fuit Iacob rectà à Salomone Davidis filio genus ducens; quemadmodum B. Virgo rectà ad Nathan Originem refert, qui Davidis item ac Berſabee filius, & ideò Salomonis frater natu minor fuit.

Hîc *considera* 1. Insignem & nobilem sancti Iosephi Originem ; ut qui sit è regio Davidis sanguine prognatus, tot Regum ac summorum Pontificum, tantíque generis, quâ digniorem prosapiam orbis non vidit, nepos: quod sanè decens erat, quando pro sponso cæli terrarúmque Reginæ fuit destinâtus. 2. *præclarum* Dei omnia providentis fuisse consilium, ac cælestis senatûs arcanum, quòd Iosephus etsi regio stemmate oriundus, ad quem jus Regni pertinebat, pauperum nihilominus è grege fuit. An fortasis inter alias causas etiam idcircò factum id est, ut disceremus, paupercs magis idoneos esse, ut inter cæli Magnates accensеantur, quàm divitiarum, & dignitatum hujus vitæ Sectatores? 3. *Eos sæpè* esse Proceres, Principes, & Reges, qui minimè

nimè omnium merentur ; & viciſſim eos eſſe pauperes, abjectos, & contemptos, qui maximorum honorum ſunt digniſſimi. O S. Ioſeph! vas electionis, in quem à tot ſæculis oculos Deus conjecit! parùm mea refert, illuſtri me genere ortum; ac proin ipſa etiam Regna deſpicio: non eſt mihi animus in terris emergere, cui jus ad cælum & Superûm coronam reſtat : illuc omnis ambitjo mea fertur. Ad finem hunc meum tuis precibus pertingam, vitámque hoc deſiderio plenus abſolvam, ut parvus in terris, in cælo merear magnus eſſe.

Ergò piè Sodaljs :

Ut felix moriaris homo, bene vivere diſce ;

Ut felix poſſis viveee, diſce mori.

Qualis enim vita, finis ita ; quem in ſanctiſſimo Ioſepho pro tua utilitate ſic meditare. Præ-

Præludium 1. Finge, te S. Ioſephum morientem Nazarethi in lecto videre, adſtante Ieſu & Maria. Potuitne hâc morte quidquam eſſe feliciùs?

Præludium 2. Gratiam à Deo poſtula, ex obitu S. Ioſephi feliciſſimo proficiendi, atque altè in animum felicitatem juſtorum morientium demittendi.

1. *Punctum* S. Ioſephus paulò ante Ieſu Chriſti Baptiſmum mortuus eſt: quem Angelus de horâ obitûs admonuit; cúmque viribus deficeret, Ieſus ei adſtans animos illi addidit, ac conſolatus eſt; ut & B. Virgo, quæ ex hac vita emigranti adfuit: quod utique tam placidè, tranquillé que factum eſt, ut ejus vitam decebat. Poſt eius diſceſſum Ieſus confeſtim os ac oculos illi clauſit, ſuis manibus eius vultum

ad

ad decentem ſpeciem componens. *Conſidera* 1. Gaudium S. Patriarchæ, cùm vidit, ſe Curriculi ſui metam attigiſſe, poſtquam multùm pro ſua ſalute deſudavit, Iesúmque & Mariam ſanctè omnibus obſequiis demeruit. 2. *Officia*, & ſedulam utriúsque operam, quam ei tempore morbi, ac poſteà in procuranda ſepultura præſtiterunt, quæ fuit in valle Joſaphat inter montes Sion, & Olivarum, eodem loco, quo poſt aliquot annos B. Virgo Sponſa illius tumulata fuit. 3. *Animæ* illius ad limbum deſcenſum; ubi commorantes felici certóque nuntio de Adventu Meſſiæ, & proximâ generis humani redemptione recreavit, ſingula quæ ſciebat, in eam rem commemorans. O S. Joſeph! à Jeſu & Maria dilecte! dignus quidem eras, qui nunquam morti ſuccumberes;

beres ; ſed quoniam unum illud neceſſarium etiam te manebat, poterásne nobiliori morte, quàm inter Ieſu brachia, & in conſpectu Reginæ Angelorum, defungi ? præ hac felicitate ac munere, nollem totâ æternitate in terris vivere, mallémque quotidiè centies ac millies mori. *P. de Barry.*

ASPIRATIONES

Ad eundem S. JOSEPHUM pro felici hora mortis.

S. Ioſeph ! qui, ut ajebat S. Thereſia, dulcedinem tuæ protectjonis unà cum S. Sponſa tua Maria particulatim exeris in conſolandis afflictis, potiſſimùm verò in agone ſupremo luctantibus, & pro divino tribunali ſiſtendis. Monſtra te eſſe Patrem, Dominum, & fideliſſimum

ſimum Protectorem meum, & mihi pro illo puncto cum Jeſu, Maria adſta, ô S. Joſeph!

2. S. Joſeph! per tua, quæ in morte habuiſti ſolatia, te rogo, provide mihi nunc; & quidquid me in morte turbare poſſet, ſanctè, & tempeſtivè averte. O Ieſu, Maria, Ioſeph!

3. S. Ioſeph! in illas tuas manus quibus beatiſſimæ tuæ Sponſæ manum in deſponſatione tetigiſti, & poſteà Ieſulum parvulum geſtâſti, commendo nunc, & in hora mortis meæ animam meam. Succurrite, ſubvenite, O Ieſus, Maria, Ioſeph!

4. Ieſus, Maria, Michaël, & reliqui ſancti Angeli! qui migranti hinc Ioſepho adfuiſtis, adeſte, & mihi in agone ſupremo. Adeſte, ſubvenite O Ieſus, Maria, Ioſeph!

5. S. Io-

5. S. Ioſeph! ecce diſpono domui meæ, quia moriar. Sed quia tu domui leſu, & Mariæ præfectus fuiſti, te mihi præficio, diſpone domui meæ, ut benè moriar, & vivam tecum in domo Dei. Diſponite, ſubveniteO, Amores Ieſu, Maria Ioſeph! Amen.

Ex hebdomada S. Joſephi. Et menſe ſacerdotali.

Ieſus Nazarenus dixit S. Ioſepho in morte: Ero Auxiliator omni homini in Eccleſia juſtorum, qui in die memoriæ tuæ, O Ioſeph! Deo ſacrificia obtulerit, & qui meditabitur in vita & laboribus tuis. *Ex Hiſt. orient. apud Iſolanum.* Cùm Chriſtus haberet claves Paradyſi, & unam dedit Matri ſuæ, dedit & aliam Patri ſuo Ioſeph: qui autem habet clavem, habet, & ea quæ con-

ti-

tinentur ſub clave. *Bernard. de Buſtis. 4. p. ſer. 12.*

Ergò quicúnque piè vivere, & beatè mori cupitis. *Ite ad* S. Ioſeph *Gen. 41.*

Punctum II.

S. Ioſephus cum anima & corpore in Cælo eſt. Ut enim Gerſon ait, quandoquidem multi cum Servatore noſtro ſunt à mortuis reſuſcitati, credibile eſt, S. Ioſephum ex illis fuiſſe. Hoc cùm S. Bernardinus Patavinus die quâdam pro concione diceret, ſuprà caput ejus crux auro mirè effulgens, ceu Cæli ejus orationem ad populum approbantis ſignum, viſa eſt. Quin quod ampliùs eſt, admodùm veriſimile eſt, eum ſanctiorem eſſe, gloriáque ſanctos omnes antecedentem proximum poſt SS. Vir-

ginem ſponſam ſuam locum & honorem eſſe illi jure debitum. 1. *Quia* præ cœteris omnibus majorem in Incarnationis Myſterio partem habet; ita quidem, ut quemadmodum in terris in illa SS. Domo, vbi IESVS & MARIA degant tertia perſona fuit eodem Ordine in Cælo collocaretur. 2. *In terris* Patris Servatoris munus ſuſtinuit, Cui par nullum fuit? an non æquum eſt, ut in Cælo illis omnibus præferatur, qui inferiora munera obierunt? 3. *Continua* triginta annorum Seruitia Deo Homini exhibita ante aliorum omnium actiones commerita ſunt, majori remuneratione gloriáque affici. JOSEPH! Princeps in Domo Dei! dubium mihi non eſt, quin IESUS & MARIA Omne genus honoris in Cœlo tibi exhibeant; neque quidquam eſt, quod te ab illorum

lorum consortio ac tertio post illos gradu avellat; omnes enim Laureolas & serta honoris excellenti quâdam ratione possides: Virgo totâ vitâ fuisti: Doctorem sæpè egisti, eo munere interim, cûm versareris in Ægypto, præcipuè defunctis: Martyr eras, ad servandam Fili Dei vitam, cui tot insidiæ struebantur, millies mori paratus. Et si omnes hi tituli à te abessent, certè Pater Servatoris & MARIÆ Sponsus es: quod satis est, ad sedem omnibus cæteris altiorem pro meritorum tuorum magnitudiue constituendam.

Punctum. 3.

S. JOSEPHUS in Cælo potens, fidelis & amans suorum Clientum, eorúmque, qui ad ejus opem Confugiunt; Patronus est. Considera 1. *Ejus potentiam* in obti-

nendo precum quæ ad ipſum fiunt, ſucceſſu inſignem: Sancti & Angeli IESUM ut ſervi precantur infimis precibus ei ſupplices; cùm S. JOSEPHUS ut Pater non ſine quadam auctoritate poſtulet ac Filius ejus poſtulatis obtemperet, velut æquè nunc in cælis ei, quam olim in terris morem gerat. 2. *Ejus fidelitatem* in amatoribus ſuis fovendis: exemplo S. Tereſia eſto, quæ plerumque eum Patrem ſuum vocitabat, palamque aſſerebat, nunquam eum precibus atque neceſſitatibus defuiſſe. Plures alij hoc ipſum dicunt. 3. *Ejus in* omnes maximam charitatem ut veriſſimum ſit, eum Cuicunque in quovis ſeu Corporis, ſeu animi negotio adeſſe. O S. Joſeph! verus amator fratrum tuorum! tam probè tuâ potentiâ utere, ut poſſimus ex hujus vitæ miſeriis

ſeriis eripi, ac ad cælum evecti, fructum fideliſſimi amoris tui percipere, ubi æternis laudibus ſuaviſſimæ tutelæ tuæ dulcedinem extollamus, in æternum & amabile carmen illud effuſi: vivat Jeſus Maria Joſeph!

In Colloquio 1. Gratias ages SS. Trinitati, ob gratiam, gloriámque tam copioſam, quâ S. Joſephum affecit. 2. *Precaberis* Dei Matrem, ut illa te S. Joſepho commendet. 3. *Profiteberis*, te S. Joſepho devotum fore; omniáque in ejus obſequium concepta ſtudia, quæ unquam circa illius honorem concepiſti, renovabis. *Pater noſter. Ave Maria.*

Oratio votiva.

SAncte Joſeph, Pater Nutritie Salvatoris noſtri Domini Jeſu Chriſti, ſponſe dilecte ſanctiſſimæ Matris ejus Virginis Mariæ. Ego N.N. ho-

diè te in Patronum & Advocatum meum eligo, firmitérque ſtatuo ac propono me nunquam contrarium honori tuo aliquid cogitaturum, vel dicturum, nec facturum, imò jnxta meum poſſe devotionem erga Te inter fideles propagari curaturum, laudéſque tuas, quibus potero módis evulgaturum. Obſecro igitur ſuſcipe me in ſervum tuum perpetuum. Adſis mihi ſemper in omnibus neceſſitatibus meis corporalibus & ſpiritualibus, defende me ab omnibus hoſtibus viſibilibus & invi-ſibilibus. Præcipuè verò in agone meo tuum Patrocinium afflicta anima mea experiatur. Adſis illi Patronus in hac extrema neceſſitate, tuíſque ſanctiſſimis precibus effice apud Ieſum & Mariam, quatenus me tunc ſuapræſentiâ dignetur conſolari: ſicut tibi morienti aſtiterunt. Vt

ſic

sic per bonam & sanctam mortem ad felicem æternitatem transire valeam, ibi tecum simul beatè victurus. Amen.

Oratio ad S. Josephum in amissione alicuius rei.

Ex Mense Sacerd.

S. Ioseph, qni duodennem Iesum deperditum in templo gaudens iuvenisti: quem specialis cliens tuus Ioannes Gerson dicit singularem in amissione alicujus rei Patronum, amisságque, quæ per implorata opem tuam exquiruntur, quamprimùm recuperari. Exaudi me pro recuperatione amissæ huius rei N. ad te supplicantem, quâ repertà promitto stipem pauperi pro honore tuo porrigere, & speciali ùs Iesum, Mariam, & te Ioseph laudare. Amen.

Oratio ad eundem in morbo.

S. Ioſeph ſingulariſſime ægrotantium Medice, & Patrone: cujus auxilium ſenſit S. Thereſia graviſſimis, ac diuturnjs in juventute morbis exercita; inter alios octo menſium ſpatio omnibus membris capta virium impotentiâ, deliquiis, acerbis cordis doloribus, multísque ſubinde aliis malis, præ quorum acerbitate ſæpe omni deſtituta ſenſu jacebat, perpetuò per tres circiter annos miſerè afflicta, & poſt celebratum maximâ ſolemnitate quotanis feſtum tuum tuo beneficio valetudini eſt reſtituta, ob quod multò magis deinceps ad tuum Patris ſui amantiſſimi amorem excitabatur. Cujus itidem præter centenos alios opem ſenſit B. Joanna ab Angelis periculoſo morbo Pleuritidis ita tenta-

tata, ut medici omnem spem redituræ sanitatis illi præciderent: dum auxilio tuo, O ægrotantium consolator! qui ei conspicuus cum Angelo custode in magna pulchráque nube sole serenior manum tuam affecto lateri applicuisti, prodigiosè est sanata. O salus! O refugium infirmorum S. Ioseph! me quóque, etsi tua ope undequaque indignum, & ob multitudinem peccatorum meorum à Deo hisce corporis mei malis meritò percussum, clementer respicere dignare. Et (si tamen saluti animæ meæ noveris expedire) à Iesu tuo, & sponsa Maria liberationem ab hoc morbo impetra, ut redditâ mihi sanitate in Ecclesia Iesu, Mariæ, & tibi ò S. Ioseph gratiarum referam actionem. Promitto tibi deinceps ferventiùs esse devotus: vitam meam, & maximè hæc N. pec-

cata cum Dei gratia corrigere, ac Deo meo ſtudioſius ſervire. Quodſi verò divina bonitas, cujus clementiſſimæ diſpoſitioni me humillimè reſigno, me in hoc morbo viam universæ carnis ingredi voluerit, fiat voluntas Dei, Te ò beatiſſime! ò dulciſſime Ioſeph! Protectorem, & Patrem animæ meæ in agone ſuo conſtituo, tibi vitam, & mortem meam commendo: impetra mihi veram ſuper peccata mea contritionem, ut confeſſus, & contritus, ac ſanctiſſimo Viatico proviſus concludam ultimum ſpiraculum miſerabilis vitæ meæ cum Ieſu, Maria, Ioſeph. Amen.

(o)

Item

Item alia Oratio.

Pro Resignatione voluntatis nostræ in voluntatem Dei.

S. Ioseph divinæ voluntatis etiam noctu nunciatæ nutui sine mora obediens : nec Bethlehemitici stabuli paupertate, nec Herodis furore, nec cæde infantium, nec itineris, ac exilii ærumnis à sancta mentis quiete turbate, sed in paterno divinæ voluntatis sinu tranquille: qui continuè dicebas teste ad S. Brigittam ipsâ tuâ Sponsâ Maria. *Utinam vivam, ac videam adimpletam voluntatem Dei.* Qui Ioannam Ursulinam ope tuâ à Dæmone liberatam docuisti dicens: *Constanter in his, quæ pateris, malis perdura, tuámque in adversis mentem divinæ voluntati conforma, tui penitùs oblita: ita enim Deo cordi eris.* Rege vo-

lun-

luntatem meam ò S. Ioſeph ! ut jumentum tuum , impone illi Ieſum, & Mariam. Non mea, ſed Dei voluntas fiat in me ſemper. Fiat, fiat ò Ieſu, Maria, Ioſeph, Amen.

HYMNUS.

Pro remiſſione Peccatorum, & felici morte impetranda.

1.

O Ioſeph Sponſe Virginis, nos à reatu criminis, tuis emunda precibus, & reple nos virtutibus.

2.

Iram Dei metuimus, quia nimis peccavimus, obtine nobis veniam, & converſionis gratiam.

3.

Interpelle ſponſe ſponſam, ut ſe monſtret Advocatam, nobis reddat & placatum, ſuum Ieſum dulcem natum.

4. O

4.

O Ioſeph Deo dilecte! mi Patrone præelecte, nos fragiles & mendicos, humiles fac & pudicos.

5.

In tremenda mortis horâ, adſis nobis ſine mora, nósque Sanctorum gaudiis, tuis junge ſuffragiis, Amen.

HYMNUS

alius.

1.

O Cuſtos Matris Domini, devotos tuo nomini, Ioſeph alme per aſpera, ſalva ſemper & proſpera.

2.

Adeſto tuis famulis, dignare Dux amabilis, ſentiant noſtra pectora, tua ſemper juvamina.

3.

Tu ſalus & Protectio, noſtráque ju-

jubilatio, ſancte Ioſeph in ultimo, vitæ noſtræ ſis præſio. Amen.

Antiph. O felix cuſtos Sponſæ Reginæ Virginum, qui Ieſum educâſti omnis creaturæ Dominum, jam lætus regnas in Choro Sanctorum Agminum, ora pro nobis aſſiduè Patrem luminum, ut æternâ luce perfruamur in perpetuum.

℣. *Adjutor meus eſto S. Pater Ioſephe.*

℟. *Ne derelinquas me, neque deſpicias me in hora mortis meæ.*

Oratio.

SAncte Joſeph, tibi mors feliciſſima inter Jeſu & Mariæ brachia contigit: felicitate iſtâ tuâ mereris omnium morientium eſſe Patronus: rogo itáque per chariſſimos tibi Jeſum & Mariam mortis tuæ teſtes, ut morituro mihi aſſiſtas. Jesúque &

Ma-

Mariæ, mihi eo maximè momento concilies benevolentiam, Judicis, inquam, & Advocatæ, ut per eos, te mediatore, salvus, æternas illi laudes, & tibi gratias referam. Amen.

Princeps glorioſiſſime, omnis poſſeſſionis Jeſu Chriſti, caſtiſſimæ Virginis Mariæ Sponſe S. Ioſeph, ego peccator viliſſimus, omnem tamen ſpem meam & fiduciam, in tè poſt Deum & ſanctiſſimam Sponſam tuam collocans, tibi humiliter ſupplico, téque obſecro & obteſtor per illum amorem & ſubmiſſionem, quam tibi dulciſſimus Ieſus Dei Filius & Filius beatiſſimæ Virginis Mariæ ſponſæ tuæ dilectiſſimæ, uti Nutritio ſuo & Patri putativo exhibuit, & per illum affectum, ac ſinceram correſpondentiam, quam ab eadem ſponsâ tuâ ſanctiſſimâ ſempérque

Vir-

Virgine expertus es: ſpecialiter verò per illam conſolationem animæ tuæ, & lætitiam cordis tui, quam in egreſſu animæ tuæ de corpore percepiſti, dum tibi morienti aſſiſterent Ieſus & Maria: impetra mihi peccatori hanc gratiam, ut antequam moriar ex corde convertar, & ſinceram verámque pœnitentiam agam. Aſſiſte mihi nunc, obſecro, & ſimiliter nunc adjuva me Patrociniis & meritis tuis omnibus diebus vitæ meæ. Effice interceſſione tuâ, ut tranſitus meus de hoc mundo fide vivâ & firmâ, confeſſione integrâ SS. Corporis & Sanguinis Domini Ieſu Chriſti extemæque unctionis devotâ perceptione præmuniatur. O Patriarcha ſanctiſſime! pius in extremis auxiliator: adſis mihi in illa hora, quando præmortuam linguam meam movere non

non potero, ad invocandum te, nec oculos meos ad te levare; esto memor mei tunc & istarum precum, quas ad te nunc supplex effundo, fácque mecum secundùm dulcissimam misericordiam tuam, subveni mihi in illa hora separationis animæ meæ à corpore, ne Princeps tenebrarnm occurrat mihi, & potestas inferorum adversus me prævaleat; nec permittas ô desideratissimum præsidium meum immergi pœnis gehennalibus pauperculam animam meam, quæ pretioso Filii Dei redempta est sanguine, sed eam ab æternæ mortis caligine, tuâ potenti intercessione libera, auxiliante, & misericorditer præstante, quem tu nutrire & manibus gestare meruisti Iesu Christo Domino nostro. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per æterna sæcula. Amen.

I O San-

9. O Sanctiſſime Patriarcha, & pater mi glorioſiſſime Ioſeph, cui Omnipotens Deus Maieſtatem ſuæ divinitatis revelare, ſuúmque unigenitum Filium hominem factum, paternæ curæ tuæ committere dignatus eſt, ſuſcipe curam mei, & ora pro peccatis meis, & trahe me in odorem virtutum tuarum, expedi cor meum à vano creatnrarum amore: & erige illud ad Deum Creatorem ſuum: ut illum in omnibus & ſuper omnia diligam: illuſtra quoque oculos meos veræ fidei Catholicæ lumine, ut in die judicii non cum impiis & infidelibus, qui credere, & pænitentiam agere noluerunt, deputer, ſed per tuam interceſſionem, abſoluto hujus mundi exilio, te Duce & Comite felix in Patriam, undè per peccatum expulſus fueram, divinâ miſerante gratiâ

salvus migrare, & æternum beatus, glorioſúsque incola reverti valeam. Amen.

10. CORONA S. IOSEPHI.

EX liliis rubeis dolorum, ſeu afflictionum, & liliis candidis gaudiorum, ſeu conſolationum, quas ſanctiſſimus Patriarcha Ioſeph in vita ſua pertulit, contexta, ab eius devotis per piam meditationem capiti ejus imponenda tali recitandi methodo.

DIRECTIO.

AMantiſſime Sponſe beatiſſimæ Virginis Mariæ & Ieſu dulciſſimi Nutritie, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, & ſanctiſſimæ Virginis Sponſæ tuæ honorem, ac venerationem tui debitam (neque enim fas eſt ſeparare, quod Deus

conjunxit; aut 'caſtiſſimæ & Coronatæ Sponſæ, Sponſum caſtiſſimum incoronatum manere) ego etſi indignus, tibi tamen devotus Cliens Aureolam hanc ſeu potiùs coronam ex liliis rubeis, & candidis, dolorum gaudiorúmque tuorum occaſione verbi Incarnati perceptorum contextam tibi præſentare offerréque intendo: humiliter ſupplicans, quatenus hoc meæ devotionis obſequium acceptare, téque mihi, meísque Conſodalibus, in Patronum & Advocatum in omnibus meis Anguſtiis, neceſſitatibus, & afflictionibus, præſertim in extremo vitæ meæ agone & in hora mortis exhibere digneris. Amen.

Ad Grana majora ſic oratur.

AVe Maria gratiâ plena Dominus tecnm, benedicta tu in mulie-

mulieribus, & benedictus Sponſus tuus Ioſephus Nutritius benedicti fructus ventris tui Ieſu Chriſti, ſancta Maria Mater Dei, & S. Ioſephe orate pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.

Ad Grana minora.

JEſu miſerere nobis! S. Maria, & ſancte Ioſeph orate pro nobis. Amen. Ieſus Maria Ioſeph!

II. *Modus orandi alius.*

In majoribus Granis.

JEſus, Maria, Ioſeph! Sanctiſſimæ Genitricis tuæ ſponſi, quæſumus Domine meritis adjuvemur, ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate ſpiritús ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

In Granis minoribus.

JEſus, Maria, Joſeph! Ave ſanctiſſime Joſeph, gratiâ plene, Jeſus & Maria tecum, benedictus tu inter Patriarchas, & benedictus dulciſſimæ ſponſæ tuæ ſanctiſſimæ fructus Jeſus Chriſtus. S. Pater Joſeph ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ, Amen.

Modus tertius orandi Roſarium.

Hæc ſequens S. Joſephi Corona, concinnata ad Imitationem Coronæ Beatiſſimæ Virginis, habet 6. Decades, & ita texitur, ſicque recitatur.

Jeſus, Maria, & Joſeph mecum ſemper ſit in omni loco, actione, tempore, & tribulatione.

Domine labia mea aperies &c. *Ad Crucem.* Credo in Deum. *Ad majora Grana,* Pater noſter. *Ad minora*

ra. Ave Maria. *Ad tria minora grana in initio. In* 1. *post Jesus adde.* Qui per S. Josephum ab omni malo nos custodiat. *In* 2. Qui per S. Josephum à subitanea & improvisa morte nos liberet. *In* 3. Qui per S. Josephum ad vitam æternam nos perducat. *In prima Decade post Iesus adde:*

1. Qui S. Iosephum in sponsum Matris tuæ elegisti. S. Maria. &c.

2. Qui per S. Iosephum nutriri & educari voluisti.

3. Qui per S. Iosephum ab Hærode liberari voluisti.

4. Qui S. Iosepho per 30. annos subditus esse voluisti.

5. Qui S. Iosepho morienti cum sanctissima matre tua astitisti.

6. Qui S. Iosephum agonizantium Patronum constituisti.

Post cujuslibet Coronæ recitationem.

Oratio.

O Beatiſſime Ioſephe, impetra mihi, omnibúsque Conſodalibus meis, ut in hac Corona, ita dolores tuos, & gaudia celebremus & colamus, ut ab infelici æternitatis naufragio, doloribúsque ſecuri, portum teneamus gaudiorum in patria lætitiæ immortalis, Amen.

13. *Sequentes ſeptem Conſiderationes poſſunt ante, vel poſt, Coronæ recitationem, per modum meditationis, aut Orationis accipi.*

CONSIDERATIO I.

Dilectiſſime Sponſe ſanctiſſimæ Virginis Mariæ S. Ioſeph, qui videns amantiſſimam ſponſam tuam gravidam, neſciénsque myſterium, in ſummam incidiſti afflictionem, cordísque anguſtias, ita, ut eam occultè dimittere cogitaveris, nolens eam

eam traducere. Sed mox revelante in ſomnis Angelo, Conceptionem illam de ſpiritu ſancto proceſſiſſe, cum ingenti animæ tuæ gaudio intellexiſti: impetra mihi, obſecro cæleſtem ſapientiam, quâ in omnibus meis difficultatibus & perplexitatibus internis pro majori Dei gloria meóque merito dirigi valeam: impetra quóque amorem proximi, ne unquam eum verbo, aut facto lædam, obtineámque conſcientiæ munditiam talem, ut anima mea ſpiritûs ſancti habitaculum fiat. Amen.

CONSIDERATIO II.

DVlciſſime ſponſe ſanctiſſimæ Virginis Mariæ S. Ioſeph, qui ſummum dolorem & afflictionem in animo tuo ſenſiſti, quando pro Nativitate Filii Dei & Mariæ reclinatorium commodum non inveniens,

ad unum vile ſtabulum extra Bethlehem divertere debuiſti, ibíque non ſine mærore ſummo recenter natum in tantis incommodis, in præſepio inter duo animalia depoſitum conſpexiſti. Verum mox concentus Angelicos, eidem puerulo cum jubilo accinentes audiviſti, & non ſolùm pauperculos paſtores, ſed etjam prædivites Magos, ſtellæ novæ luce deductos, uti Regum Regi & Dei Filio ſubmiſſam venerationem reddentes, non ſine ineffabili cordis gaudio vidiſti, & audiviſti: impetra mihi obſecro patientiam, quatenus omnia incommoda & afflictiones cordis patienter tolerem: & ut cor meum mundi hujus deſpiciens vanitates cæleſtibus bonis toto conatu intendat. Amen.

CON-

CONSIDERATIO III.

DUlciſsime Sponſe B. V. Mariæ S. Ioſeph, cujus cor & animum ſummus occupaverat mœror, & triſtitia tunc, quando Infantulum Ieſum in circumciſione ſuâ, non ſine ſummo doloris ſenſu pretioſum ſanguinem (uti pignus & arrham copioſioris poſtmodum in fine vitæ ſuæ pro Redemptione noſtra effuſionis) conſpexiſti profundentem. Verùm mox vicem Patris cæleſtis gerens, dulciſsimum Nomen Ieſu, tibi ab Angelo revelatum, ſummo cum gaudio & conſolatione animæ tuæ eidem impoſuiſti: impetra mihi obſecro, ut ſanguis pretioſus Salvatoris mei fructus uberes in anima mea faciat, æternam mihi conferens ſalutem, &, ut virtutes Chriſtiano homine dignas exercens, non nuncupa-

cupatione tantùm, ſed & opere nomen Chriſtiani portem. Amen.

CONSIDERATIO IV.

DIlectiſsime Sponſe ſacratiſsimæ V. Mariæ S. Ioſeph, qui maximum in corde tuo percepiſti dolorem, & mærorem tunc, quando tempore præſentationis Parvuli Ieſu in templo Hieroſolymitano audiſti à iSmone dictum, quod animam dulciſsimæ ſponſæ tuæ doloris gladius penetraturus foret, nimirùm tempore acerbiſſimæ Paſſionis Salvatoris noſtri. Verùm mox ſummum in animo tuo pertuliſti gaudium, audiens ex ore ejusdem Simeonis, illam de Ieſu Parvulo Prophetiam, quod futurus eſſet in Reſurrectionem, & ſalutem multorum, & lumen ad revelationem gentium. Te ergò obſecro, impetra mihi, quatenus

nus acerbissima Salvatoris nostri Passio sic cor meum penetret, ut dolores ejus & pretiosissimum sanguinem tam copiosè pro me effusum in maxima habeam æstimatione: nec sim de eorum numero, quibus ob ingratitudinem & peccata illorum sanguis hic pretiosus Salvatoris mei, in majorem cedet condemnationem, sed potius salutem, & vitam conciliet mihi sempiternam Amen.

CONSIDERATIO V.

Dilectissime Sponse sacratissimæ Virginis Mariæ S. Joseph, cujus animum summus & planè ineffabilis dolor & mæror sauciavit tunc, quando impii Herodis crudelitatem monitu Angeli fugiens, debuisti peregrinari, in terram Ægypti ignotam & longinquam cum Infantulo Iesu,

Ieſu, & tenerrima matre ejus Maria, plurimáque incommoda & pericula in hoc itinere perpeti, ſed brevi poſt ſummum percepiſti gaudium, ex eo, quòd è tanto periculo liberaveris Ieſum dulciſſimum: & videris ad ingreſſum Salvatoris noſtri Idola Ægypti ruere ac concidere. Effice itáque obſecro interceſſione tuâ ut omne illud, quod deprehendero in me in Dei offenſionem vergere, è corde meo eliminem, & ut præſentem peregrinationem meam feliciter tranſigens ad æternam perveniam Patriam. Amen.

CONSIDERATIO VI.

Dilectiſſime Sponſe Sacratiſſimæ V. Mariæ S. Joſeph, qui non ſine immenſo dolore & mœrore cordis tui dulciſſimum Jeſum duodennem amiſſum per totum triduum

um sollicitè quærebas inter cognatos, amicos & vicinos, sed mox ineffabili animæ tuæ gaudio, eundem in templo Hierosolymitano, in medio Doctorum inveniſti, eúmque in Nazareth exultans deduxiſti, ubi ſubditus tibi fuit quoad vixiſti. Obſecro, effice tuis ſanctis precibus, ne ego aliquid unquam committam, per quod Dei gratiam, ejúſque amabilem præſentiam perdam: ſimúlque impetra mihi obedientiæ virtutem, ut ad ſalvatoris mei exemplum in omnibus voluntati Dei, & Majorum meorum me ſubijciam. Amen.

CONSIDERATIO VII.

DIlectiſſime Sponſe ſacratiſſimæ Virginis Mariæ S. Joſeph, qui ante diſceſſum tuum ex hac vita non modicum in corde tuo dolorem, mœrorémque ſentiebas, videns te ſe-

ſeparari & abſtrahi à tam ſuavi & jucundâ cum Jeſu & Maria converſatione, & conſortio. Verùm indicibili ſimul anima tua perfundebatur gaudio, quando in extrema infirmitate tua Deus Incarnatus & dulciſſima Mater ejus obſequia ſua ſummâ cum charitate tibi exhibeant, téque in viam pacis & proſperitatis ad feliciſsimam æternitatem diſponendo expediebant. O Ieſus, Maria, Joſeph ! diſponite domui meæ, ut benè moriar, & vivam vobiſcum in domo Dei. Diſponite, ſubvenite ô Amores Jeſus, Maria, Joſeph ! Amen.

(o)

OFFI-

OFFICIUM PARVUM DE S. JOSEPHO

Ex P. de Barry.

AD MATUTINUM.

JESUS MARIA JOSEPH.

DOmine labia mea aperies, &c.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me festina,

℣. Gloria Patri. &c. &c.

Hymnus.

JOseph crescens filius, aspectu decorus,

Teſtamenti veteris figuris ſignatus,
Inter viros Iſraël multum Deo gratus,
Æternorum colliumpaſtor eſt egreſſus.

AD LAUDES.

JESUS MARIA JOSEPH

Deus in Adjutorium meum intende, &c. ut ſuprà.

Hymnus.

NAtales Davidicâ radice ſortitus,
Ieſu ChriſtiDominiPater nuncupatus
Dei Matri Mariæ ſanctè deſponſatus
Matris atque Filii cuſtos cælo datus.

Antiphona. Salve Patriarcharum decus, cui Deus Omnipotens benedictionibus cæli deſuper benedixit.

℣. *Factus eſt ſimilis in gloria Sanctorum*,

℟. Et

℟. *Et glorificatus in conspectu Regum.*

Oremus.

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur; ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur: qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

AD PRIMAM.

JESUS MARIA JOSEPH.

Deus in adjutorium meum intende. &c.

Hymnus.

Cùm Mariam gravidam stupens
inveniret,
Nutabat, an deinceps illam custodiret;
Sed cælestis Nuntius in somnis apparet,

Monens, ut interritus Sponſam retineret.

Antiph. Salve ſapientiſsime Oeconome, qui vitalis panis, vineæque florentis fidelis cuſtos extitiſti.

℣. *Poſuit te Deus Dominum domûs ſuæ*

℟. *Et Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.*

Oratio, *ut ſuprà.*

AD TERTIAM.

JESUS MARIA JOSEPH.

Deus in adjutorium meum intende, &c.

Hymnus.

MAturavit Bethleem, cenſum ſoluturus,
Cùm prægnantis uterus eſſet pariturus
Immortalem puerum, quem mox oraturus
Eſſet linguâ, & propriis ulnis amplexurus.

An-

Antiph. Salve dux domûs Israël, qui magni Consilii adjutor, DeiMatris solatium, Christíque Nutritius esse meruisti.

℣. *Cibasti Christum ex adipe frumenti,*
℟. *Qui de Petra mellis saturavit te.*

℣ Oratio, *ut suprà.*

AD SEXTAM.

JESUS MARIA JOSEPH.

Deus in adiutorium meum intende. &c.

Hymnus.

FElix, qui mirabiles splendores astrorum,
Vidit, & percipiens melos Angelorum,
Acceptavit munera votiva pastorum,
Et dona Christo data de manu Magorum.

Antiph. Salve Cæleſtium myſteriorum particeps, qui ad Concentus Angelorum hominúmque fidem exultaſti.

℣. *Erudies nos ſicut temetipſum.*

℟. *Et ſenes noſtros prudentiam docebis.* Oratio, *ut ſuprà.*

AD NONAM.

JESUS MARIA JOSEPH.

Deus in adjutorium meum intende. &c.

Hymnus.

HErodes impius cùm lactentes
necat,
Nocte de cælo Deus Gabrielem legat,
Imperans, ut ocyus Ioſeph ſtrato
ſurgat,
Et conjugem cum Filio in Ægyptum
ducat.

Antiph. Salve Viatorum prudentiſsimé, qui crudelitati Herodis Au-

ctorem vitæ migrans in Ægyptum ſubtraxiſti.

℣. *Ioſeph deduxit Agnum Dei per deſertum*,

℟. *Qui ducebat velut ovem Ioſeph.*

Oratio, *ut ſuprà. &c.*

AD VESPERAS.

JESUS MARIA JOSEPH.

Deus in adjutorium meum intende. &c.

Hymnus.

DEfuncto, qui puerum morti deſtinabat,
Ad Joſeph Archangelus legatus revelat,
Tandem duræ ſinibus Ægypti recedat,
In Judæam protinus redux ire pergat.
Cùm Ieſus adhuc infans, bis ſex annos natus,

Se ſubtraxit oculis, factus cauſa fletûs;
Tunc datus parentibus mœſtis labor tantus,
Donec in templo docens puer eſt repertus.

Antiph. Salve Patrum Vigilantiſſime qui Filium Virginis amiſſum & in templo docentem ſummâ diligentiâ quæſiviſti.

℣. *Audiviſti Chriſtum in Ephrata,*
℟. *Inveniſti eum in campis ſilvæ.*
Oratio *ut ſuprà*

AD COMPLETORIUM.

IESUS MARIA JOSEPH
Deus in adiutorium meum intende &c.

Hy-

Hymnus.

TAndem vitæ terminum cùm
Joſeph complevit,
Ieſus Patris ſpiritum Patri commen-
davit,
Sacrâ corpus contegi tellure man-
davit,
Vndè vivum moriens credo quòd
levavit.

Antiph. Salve virorum fortunatiſſime cujus morientis animam in felicitatis domicilium Chriſtus collocavit.

Oratio ut ſuprà.

Commendatio.

SAncte Joſeph! humilis cohors
alumnorum
Has horas tibi dicit, Patrone pio-
rum;
Vt cælum, quem protegis, tibi de-
votorum

In celsam tecum ducas sedem Beatorum. Amen.

15.

Litaniæ de S. Josepho,

Ex R. P. Paulo de Barry. Et Palmeto Cœlesti, ac alijs.

KYrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
S. Maria Regina totius Mundi. Ora pro nobis.

S. Ma-

S. Maria Sponsa Joseph.
S. Joseph Sponse Mariæ.
S. Joseph in Vtero Matris justificate.
S. Joseph â peccato mortali immunis facte.
S. Joseph in gratiâ confirmate.
S. Joseph Patriarcharum Culmen.
S. Joseph Amator Castitatis.
S. JosephBeatissime Beatorum.
S. Joseph Deus Sponsorum.
S. Ioseph inter omnes in Virginis connubium electe.
S. Ioseph ineffabilibus benedictionibus donate.
S. Ioseph cui Regina Cæli ministravit.
S. Ioseph Christi Iesu Pater vocate.
S. Ioseph Tutor & Nutritie Iesu amantissime.

Ora pro nobis.

S. Jo-

S. Ioſeph Chriſti Pueri poſt Virginem prime adorator.
S. Ioſeph Miniſter Circumciſionis Chriſti.
S. Ioſeph Exul cum Chriſto in Ægypto.
S. Ioſeph Fili David.
S. Ioſeph Gener Ioachim & Annæ.
S. Ioſeph Hoſpes Verbi incarnati.
S. Ioſeph Lumen Opificum.
S. Ioſeph Chriſto & Matri ſimillime.
S. Ioſeph donis Spiritûs ſancti abundantiſſime.
S. Ioſeph vir Angelice.
S. Ioſeph qui monitione Cuſtodis Angeli in Chriſto curam exercuiſti.
S. Ioſeph, qui ut Angelus divina oracula retuliſti.

Ora pro nobis.

S. Jo

S. Ioseph, qui ut Principatus Christum magni concilij Angelum gubernasti.
S. Ioseph, quia ut virtus, Minister Christi fuisti.
S. Ioseph Dominationibus major, cui Rex & Regina Cælorum serviunt.
S. Ioseph in cujus brachijs & gremio, tanquam in Throno Christus insedit
S. Ioseph, qui ut Cherubim, Virginis veri Paradisi custodiam habuisti.
S. Ioseph Vir Seraphice.
S. Ioseph contemplator altissime.
S. Ioseph inter brachia Christi defuncte
S. Ioseph Angelici Concentùs auditor.

Ora pro nobis.

S. Jo-

S. Ioſeph ad limbum Patrum Chriſti Præcurſor.
S. Ioſeph, qui cum Chriſto inter alios reſurrexiſti.
S. Ioſeph, qui corpore & animo peculiaribus gloriæ donis frueris.
} Ora pro nobis.

S. Ioſeph Patrone & defenſor noſter dulciſſime. Adjuva nos ô S. Ioſeph!

In omnibus neceſſitatibus & anguſtijs noſtris. Adjuva nos ô S. Ioſeph.

In hora mortis noſtræ. Adjuva nos ô S. Ioſeph.

Per caſtiſſimam deſponſationem tuam. Adjuva nos ô S. Ioſeph.

Per paternam curam & fidem tuam. Adjuva nos ô S. Ioſeph.

Per labores & ſudores tuos. Adjuva nos ô S. Ioſeph.

Per dolores & gaudia tua. Adjuva nos ô S. Ioſeph.

Per

Per omnes virtutes tuas. Adjuva nos ò S. Ioseph.

Per summum honorem & sempiternam beatitudinem tuam. Adjuva nos ò S. Ioseph.

Per fidelem interceſſionem tuam. Adjuva nos ò S. Ioseph.

Clientes tui,

Vt à Ieſu peccatorum noſtrorum veniam nobis impetrare digneris.

Vt Ieſu & Mariæ fideliter nos commendare digneris.

Vt omnibus in virginali & conjugali ſtatu viventibus, convenientem caſtitatem impetrare digneris

Vt omnibus Congregationibus perfectum amorem, & concordiam impetrare digneris

Vt Præſidibus ac Prælatis omnibus

Te rogamus audi nos.

bus in ſubditorum ſuorum gubernatione adeſſe digneris.

Vt Patribus familias in Chriſtiana liberorum educatione opitulari digneris.

Vt omnes de tuo Patrocinio confidentes protegere digneris.

Vt Congregationibus tuo nomine & Patrocinio inſtitutis paterno ſemper auxilio ſubvenire digneris.

Vt cum Ieſu & Maria in extremo vitæ articulo nos inviſere & præſto eſſe digneris.

Vt omnibus fidelibus defunctis interceſſionis tuæ ſuffragio ſuccurrere digneris.

O Caſte Mariæ Sponſe.

O Fidelis Ieſu Nutritie.

Te rogamus audi nos.

O S. Jo-

O S. Ioseph, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Iesu.
Agnus Dei, &c. Exaudi nos Jesu.
AgnusDei,&c. miserere nobis Iesu.
Iesu Christe audi nos.
Iesu Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Pater noster. &c.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à malo.*

Antiph. Hic vir despiciens mundum, & terrena, triumphans, divitias cælo condidit, ore; manu.

℣. *Domine exaudi Orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

(o)

Oremus.

DEus, qui S. Joſephum in Sponſum Mariæ ſemper Virginis, & Filij tui dilecti Domini noſtri Jeſu Chriſti Tutorem & Nutritium elegiſti: te ſupplices exoramus; animæ & corporis puritatem ejus nobis patrocinio concede propitius; ut puri ab omni macula, & veſte nuptiali ornati, ad cæli nuptias admittamur. Per eundem Chriſtum &c.

℣. *Ora pro nobis Beatiſſime Joſeph.*
℟. *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

Oratio.

O Virginum Cuſtos, & Pater S. Joſephe, cujus fideli cuſtodiæ ipſa innocentia Chriſtus Jeſus, & Virgo Virginum Maria in terris commiſſa fuit, te per utrúmque chariſſimum pignus tuum Ieſum, & Mariam

am obsecro & obtestor, ut me ab omni immunditia præservatum, mente intaminatâ, puro corde, & casto corpore, Iesu & Mariæ, semper facias castissimè famulari. Amen.

Oremus.

MEmento nostri sanctissime Ioseph, & tuæ Orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede, sed & Beatissimam Virginem Mariam Sponsam tuam nobis propitiam, redde, quæ mater est ejus, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat per infinita sæcula sæculorum, Amen. *Ex Nucl. Cathol. devot.*

Hymnus.

I.

JOseph nobis dulce nomen, cæli, terræ, fælix omen, præbens cibi copiam; Vtriúsque testamenti

ſerviens electæ genti, neſciens inopiam.

2.

Ioſeph olim diſpenſator, mundi dictus eſt Salvator, ab Ægypti civibus; ſalvatorem nos te, mundi ſalutamus, gemebundi, panem à te poſcimus.

3.

Panem illum Angelorum, factum cibum viatorum, non mittendum canibus; Qui de cælis hùc deſcendit, séque lubens gratis vendit, ſacerdotis manibus.

4.

Expleviſti jam figuram, geris inde noſtri curam, terræ paſcis hoſpites; Et frumentum Electorum, congeris in ſponſi Thorum, gignens ibi virgines.

5.

Ergo Pater Salvatoris, Ave, cuſtos

ſtos Redemptoris, Ioſeph ter amabilis; Salve ſponſe Matris Dei ſalve hoſpes Jeſu mei, Ioſeph ter mirabilis.

6.

O jucundum & beatum, ô felicem vitæ ſtatum. dum nutriſti Dominum! dum fideliter ſerviſti, & utrúmque cuſtodîſti, matrem atque filium.

7.

Ieſum oculis vidiſti, & in brachiis tuliſti, ô ſuavis felicitas! Genis genas admoviſti, oſcula dans accepiſti, ô felix ſuavitas!

8.

ModòDeum appellâſti, modòRegem nominaſti: inter mille gaudia: modò Patrem adorandum, modò natum adamandum; inter mille baſia.

9.

Cum Maria converſari, atque

Iesum amplexari, ô quantæ delitiæ! illum brachiis tenere, atque totum possidere, ô quamtæ divitiæ!

10.

Cor amore diffluebat, flamma flammam nutriebat, felici incendio: quando parvulum tulisti, vel in Matris aspexisti blandientem gremio.

11.

Quæ dulcedo tam immensa, Et quæ flamma tam intensa cor magis accenderet? Quæ plus consolationis, aut plus delectationis pectori submitteret?

12.

Solus ille probè novit, hoc, qui suo sinu fovit amoris incendium: Solus ille degustavit, qui sic matrem adamavit, & cum Matre Filium.

13.

Ambo tibi serviêrunt, ambo subditi fuerunt toto vitæ spatio; ambos

bos ſemper honorâſti, ambos intimè amâſti, ſummo cum ſolatio.

14.

Mater cibos præparabat, Natus tecum laborabat: O divinum ſocium! Poſt laborem conſediſtis, atque dulcem habuiſtis menſam & colloquium.

15.

Dulces noctes, dulcis quies! dulcis labor, dulces dies; dulcis converſatio! cum utróque habitare, cum utróque manducare, quanta conſolatio?

16.

Vitam demum dum clauſiſti, ambos tecum habuiſti, circumdantes lectulum. Hinc & hinc utrúmque ſtantem, cernens & te conſolantem, tradidiſti ſpiritum.

17.

O quàm ſancta, quàm devota

fuit tua vita tota, ô quàm lætus exitus! Inter Ieſu, & Mariæ manus emori tam piè, ô quàm felix obitus!

18.

Quis eſt homo, qui ſervire tibi nollet, & ambire tuam ſemper gratiam: quis non vellet te amare, aditum per te ſperare, ad cæleſtem Patriam?

19.

O Ioſephe plùs amande, & præ cunctis honorande, ô flos pudicitiæ! tibi tanta ſors eſt data, quanta nulli eſt collata ab Auctore gratiæ.

20.

O felicem & beatum, cui protegi eſt datum tuo ſub præſidio! Et qui meruit habere te Patronum, & gaudere tuo patrocinio.

21.

O Ioſephe, mi Patrone, inter tuos me repone, me clientem ſuſcipe:

pe: volo ſemper te amare, ſemper volo te laudare; tu me ſemper protege.

22.

Tu indignum me dignare tuæ ſponſæ commendare, atque tuo filio. Vobis cupio placere, vos propitios habere, Omnes tres deſidero.

23.

Iſtud Trinum cui favet, lætus ille, nunquam pavet, ullo in periculo. Qui ſub hujus Trini ſcuto, latet, vivit ille tutò, moritur cum gaudio.

24.

O mi Ieſu! tuæ matris preces, & Joſephi Patris ſemper clemens reſpice; Et illorum per amorem, rogo te, & per honorem, tu me nunquã deſere.

25.

O Maria Mater Dei, O Patroni, Sponſa mei, mihi ſis propitia: per

illius caſtum florem, rogo te, & per amorem, mihi fer auxilia.

26.

O mi Ioſeph honorande, & ab omnibus amande, tu ſcis, quia amo te. Da, ut magìs te amare, & plus poſſim honorare toto ſemper pectore.

27.

O mi Ieſu, O Maria, O Joſephe, mente piâ ſemper vobis ſerviam: vos juvate, ut ſervire, dignè poſſim, & venire ad cæleſtem Patriam.

28.

O ſi poſſim vos videre, & in Ævum congaudere in cæleſti curia! O ſi ſummè vos amare poſſim ſemper, & laudare in æterna gloria!

29.

O felix Oeconomia, Jeſus, Joſeph, & Maria, nulla mihi charior: ſol & luna, ſtellæ junctæ, menti lucem

cem dant compunctæ, quâ nec ulla clarior.

30.

Huc mortales, huc venite, mecum ad Joſephum ite, ſurge triſtis anima. Siſtis te Joſeph piam, habes Jeſum, & Mariam, & cum illis omnia, Amen.

℣. *Valde honorandus eſt beatiſſimus Joſeph.*

℟. *Inter cujus brachia requievit Filius Mariæ.*

Oratio.

OMnipotens æterne Deus, qui beatum Joſephum juſtum, Filium David, beatiſſimæ Virgini Mariæ providiſti, & Filio tuo Jeſu Chriſto, Nutritium elegiſti, da quæſumus, ut ejus precibus, & meritis tranquillâ pace lætemur, & ad perpetuæ viſionis tuæ conſolationem per-

perducamur. Per eundem Dominum. &c.

Alia.

O Sanctiſſime Joſephe, Patrone mi amabiliſſime, obſecro te, per ardentiſſimum illum amorem, quo Jeſum & Mariam ſemper dilexiſti, & viciſſim ab utróque dilectus es, impetra mihi gratiam, ut Ieſum & Mariam & te cum illis, toto cordis affectu ſincerè diligam, & omnes actiones meas ad veſtrum beneplacitum dirigam, vobísque ſingulari ſtudio, amore & pietate conſtanter ſerviam, atque laudes veſtras & gloriam, veſtrúmque honorem & cultum apud omnes promovere & augere valeam. Hoc mihi concedat benigniſſimus Jeſus, per Mariæ Matris, & Joſephi Nutritii Patris ſanctiſſimam interceſſionem, & merita. Amen.

16. Cultus S. Joſeph, ejus ſeptem dolores & gaudia recolendo;

Ex libello, Cultus S. Ioſephi dicto.

SAncte Joſeph, qui duos Religioſos Clientes tuos, triginta aliis naufragio pereuntibus, ſuperſtites, & per tres dies ac noctes in rudi tabula maris tempeſtate jactatos, tuúmque auxilium implorantes inviſens coram illis amabili quâdam pulchritudine reſplenduiſti, illos benignè ſalutâſti, ſolatus es, & ad portum incolumes deduxiſti: petentibus quis eſſes, dixiſti: *Ego ſum S. Joſeph.* & poſteaqnam illos docuiſti, ut Dominicam, & Angelicam orationem ſepties dicerent in memoriam ſeptem tuorum olim dolorum & gaudiorum, ex illorum oculis non item è cordibus evanuiſti; impetra mihi, ut ita dolores tuos & gaudia cele-

celebrem, & colam, ut ab infelici æternitatis naufragio, doloribúsque ſecurus, portum teneam gaudiorum in patria lætitiæ imortalis Amen

Gratiſſima igitur eſt S. Ioſepho illorum devotio, qui quotidie in memoriam ſeptem dolorum, & ſeptem gaudiorum ipſius dicunt ſepties orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam. Dolores autem & gaudia ipſius præcipua ſunt iſta.

1. *In deſponſatione* valdè anxius erat de virginali ſuâ puritate conſervandâ: ſed exhilarabatur, cùm intelligeret, ſponſam ſuam itidem Virginitatis voto ſe Deo conſecrâſſe

2. *Anxius* erat videns ſponſam ſuam prægnantem: ſed gaviſus eſt vehementer intelligens eam ex ſpiritu ſancto concepiſſe.

3. *Anxius* erat non invento hoſpitio in Bethleem: lætus videns Ieſum

ſum recens natum, & Canticum audiens Angelorum.

4. *Anxius* erat de Ieſulo, dum ab Herode quærebatur ad necem: lætus, cum ductu Angelico ſalvum intuliſſet in Ægyptum.

5. *Anxius* erat in reditu, audiens Archelaum regnare: lætus, cùm Angeli monitu ſalvus ſe ceſſiſſet in Nazareth Gallileæ.

6. *Anxius*, amiſſo puero in templo Hieroſolimitano: lætus eodem iterum invento inter Doctores.

7. *Auxius*, cùm moriturus & ad lymbum iturus à Ieſu & Maria diſcederet: lætus, quòd in agone utriúſque præſentiâ, & ſolatiis frueretur. *Hæc ex Nuc. Cath. devot.*

(o)

Aſpi-

Aſpirationes ad S. Joſephum

De

Septem Doloribus, & ſeptem Gaudiis.

1. SAncte Ioſeph, cujus admirandum cum Maria Dei matre futura conjugium dolori primùm tibi fuit, de puritate tuâ nulli periculo exponenda ſolicito: ſed impulſu divino conjugium illud novum, quod fuit virginitatis myſterium, iniiſti: doce me, quomodo animum dolore aliquo, vel ſollicitudine anxium debeam ad Deum elevare, inde radium lucis accipere, ac Dei ductum & nutum ſequi. *Pater. Ave. Gloria.*

2. S. Ioſeph, qui, cùm deſponſata tibi Maria inventa eſſet in utero habens de ſpiritu ſancto mœſtus, & incertus conſilii cogitabas de illa occultè dimittendâ; impetra mihi cæle-

cæleſtem prudentiam cum charitate conjunctam. *Pater. Ave. Gloria.*

3. S. Ioſeph, novi doloris plene, quando tibi cum Maria deſponſata tibi uxore prægnante in Bethlehem non erat locus in diverſorio; adeóque natus ex illa Ieſus debuit in præſepio reclinari. Impetra mihi ſolidam illam patientiæ firmitatem, etjam in caſibus, qui animum valde percellunt, ſeu domi ſit aliquid, ſeu foris patiendum. *Pater. Ave. Gloria.*

4. S. Joſeph, magno dolore anxie, cùm Ieſum tuum ab Herode quærendum ad cædem intellexiſti, & nocte Ieſum, & Mariam accepiſti ac in Ægyptum fugiſti; protege me cum Ieſu, & Maria, ſi quis animæ meæ Tyrannus vel occaſio me quærat ad perdendum me in æternum: doce me Ieſum & Mariam accipere, doce fugere. *Pater. Ave. Gloria.*

5. S. Ioſeph, doloris iterum plene, cùm ex Ægypto redux, in Iudæam ire timuiſti, ne in Archelaum incideres Hærodis Filium tunc regnantem: doce me ita ſcitè, ac ſapienter Angeli mei monitis parére, ut quidquid animæ meæ periculum creare poteſt, evitem. *Pater, Ave. Gloria.*

6. S. Ioſeph, qui amiſſum duodecim annos natum Ieſum dolenter quæſiviſti, doce me illum nunquam amittere, doce ſemper quærere, ac iuvenire, doce quidquid me ab illo ſeparare poteſt, totis viribus deteſtari. *Pater. Ave Gloria.*

7. S. Ioſeph, qui moriens non ſine dolore tuliſti te à Ieſu, & Maria ſeparari, rogo te per amorem Ieſu & Mariæ, ut præſis omnibus doloribus mortis meæ: ut quicquid mihi dolori tunc eſſe poteſt, lenias, & abſtergas. *Pater. Ave. Gloria.* 1. S.

1. S. Joseph, gaudio plene, quando Mariam sponsam tuam virginitatis voto Deo devotam intellexisti; esto una cum illa custos puritatis cordis mei: ne plus contra illam possit ulla tentatio, quàm Maria & tu possitis pro me. *Pater. Ave. Gloria.*

2. Gratulor tibi S. Ioseph de gaudio, quod habuisti, cùm ab Angelo intellexisti, ne Mariam dimittetes, quod enim in ea natum erat, de Spiritu sancto esse; impetra mihi, ut nihil me à Mariæ Sponsæ tuæ cultu sancto abducat, ne illam dimittam, ne deseram, ne ab illa deserar in æternùm. *Pater. Ave. Glor.*

3. Gratulor tenerrimis gaudiis tuis, S. Ioseph., quibus perfusus es, cùm Iesum recens natum adorares, Angelos canentes audires, Mariæ Dei Matri servires: doce me amare

Ieſum, colere Mariam, ſervire utríque cum Angelis; ut jllis ſerviens tandem ſalvus fiam. *Pater. Ave. Glor.*

4. S. Joſeph, qui in Ægypto exul licèt, gaudens tamen, quia à Tyranno ſecurus, cum Ieſu & Maria vixiſti; impetra mihi, ut in hoc exilio ita vivam Ieſu, & Mariæ, ac tuâ ope ſecurus, ut nullum periculum poſſit me à vobis avellere, & vobiſcum degam in loco ſecuritatis æternæ. *Pater. Ave. Gloria.*

5. S. Joſeph, lætè redux in Nazareth, ubi cum Ieſu puero, & Maria Sponſa Matre Virgine in convictu beatiſſimo habitâſti; impetra mihi, ut benè ſciam habitare cum bonis, & optima in illis imitatus perveniam ad ſocietatem Civium ſupernorum. *Pater. Ave Gloria.*

6. S. Ioſeph, qui duodennem puerum Ieſum lætus in templo inter

ter Doctores reperiſti, quære me ſervum tuum quæſo, dum ipſe me perdo: & apud Ieſum, ac Mariam effice, ut ſemper in iis ſim, quæ Dei ſunt: offero nunc omnia & ſingula honori, & amori Dei: & conjungo meritis Ieſu, Mariæ, ac tuis. *Pater. Ave. Gloria.*

7. S. Ioſeph, cujus mors inter dulces Ieſu, & Mariæ complexus pulcherrima, facta eſt morientium ſolatium, & exemplum. O ſancte mi, per omnem, quo Ieſus & Maria te amavit, quoque illos amâſti, amorem; per omnem, quâ te S. Thereſia, & omnes tui coluerunt, vel colunt, pietatem: per omne quicquid tjbi placet in cælo & in terra: per omnia tua pro animabus corporibúsque facta miracula: per omnem gratiam & gloriam, quâ te Sanctiſſima Trinitas cumulavit; im-

petra mihi, ut Ieſu, Mariæ, tuóque amplexu dignus vivam, & moriar: ut ſim inter illos in æternum, qui tuâ tam fideli, tam expertâ, tam certâ ope ad ſanctiſſimam Trinitatem æternum videndam, & colendam admiſſi ſunt, Amen. *Pater. Ave. Gloria.*

17. *Litaniæ de tribus ſanctiſſimis Perſonis Ieſu, Maria, Ioſepho, & proximis eorum ex ſanctis conſanguineis, quorum fit mentio in ſacra Scriptura, & martyrologio Romano. Ex Libello, Dies S. Ioſepho &c. ſacer, nuncupato, & Monachii Anno* 1658. *impreſſo.*

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de Cælis Deus, miſerere nobis.

Fili

Fili Redemptor mundi Deus, miſe-
rere nobis.
Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere
nobis.
Ieſu Fili Dei vivi miſerere nobis.
Ieſu Fili Mariæ Virg. miſerere nobis.
Ieſu Fili David, Fili Abraham, Iſaac
& Iacob, miſerere nobis.
Maria Filia Dei Patris,
Maria Sponſa Spiritûs ſancti,
Maria Mater Filii Dei,
Ioſeph Pater Ieſu Filij Dei appellate
Ioſeph Sponſe Mariæ Virginis
præ omnibus electe,
Ioſeph Fili David ex regali pro-
genie,
} Ora pro nobis.
Ieſu, Maria, Joſeph, ſancta & crea-
ta Trinitas, miſerere nobis.
Ieſu, Maria, Ioſeph, ſancta & ad-
miranda Vnitas, miſerere nobis.
Ieſu, Maria, Ioſeph, ſancta & ab

omnibus amanda Societas, miſe-
rere nobis.
Ieſu Chriſte, Salvator noſter beni-
gniſſime, miſere nobis.
Maria Virgo Advocata noſtra cle-
mentiſſima, ora pro nobis.
Ioſeph vir juſte, Pater & Patrone no-
ſter amabiliſſime, ora pro nobis.
Ieſu ſancte Sanctorum, Fili Dei &
Mariæ, miſerere nobis.
Sancta Maria, Mater Ieſu,
Sancte Joſephe, Pater Jeſu Nu-
tritie,
Sancte Joachim,
S. Joannes Baptiſta,
S. Jacobe major,
S. Joannes Evangeliſta,
S. Jacobe minor,
S. Juda Thadæe,
S. Cleopha,
S. Simeon,
S. Ioſeph,

} Ora pro nobis.

S. Za-

S. Zacharia,
S. Anna,
S. Elisabetha,
S. Mariæ Cleophæ,
S. Maria Salôme,
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Iesu Mariæ & Iosephi Consanguinei, Intercedite pro nobis.

Ora pro nobis

Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.

Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab omni periculo corporis & Animæ,
Ab omni malâ voluntate,
Ab omni malâ cogitatione, verbo & opere,
Ab omni induratione, & excæcatione cordis,
A Spiritu immundo & impudicitiæ,
Ab omni tentatione carnis,

Libera nos Domine.

A ſubitaneâ & improviſâ morte
Ab inſidiis Diaboli,
A morte perpetuâ,
Per dulciſſimam Virginem Matrem tuam,
Per ejus ſanctiſſimum Sponſum Ioſephum nutritium tuum,
Per interceſſionem omnium SS. Conſanguineorum tuorum,
In die judicij,
Peccatores,
Vt nobis parcas,
Vt nos protegere digneris,
Vt nos ab omni periculo, corporis & animi liberare digneris,
Vt nobis in hora mortis noſtræ adeſſe, ac ſuccurrere digneris
Vt mentes noſtras ad cæleſtia deſideria erigas,
Vt nobis ſpatium veræ pœnitentiæ concedere digneris,

Libera nos Domine.

Te rogamus audi nos,

Ut

Vt peccata noſtra dignè flere, & gratiam tuam obtinere mereamur,
Vt miſericordiâ, & longanimitate tuâ, ad licentiùs peccandum nunquam abutamur,
Vt gratiam tuam, & peccatorum veniam conſecuti relapſum ſeriò caveamus,
Vt nos in gratia tua mori, & poſt mortem paradiſi januam introire concedas,
Vt devotionem erga te, & tuos SS. Conſanguineos, apud omnes promovere & augere digneris,
Vt omnibus Cultoribus tuis, & SS. Conſanguineorum tuorum ſempiterna bona retribuas,
Vt nos omnes, Parentes, fratres, ſorores, Conſanguineos &

Te rogamus audi nos.

& be-

benefactores noſtros, ab æ-
terna damnatione eripias,
Vt nobis omnibus, Parentibus,
Conſangujneis, cognatis, &
amicis noſtris, pacem & uni-
tatem largiri digneris,
Vt animas Omnium fidelium
defunctorum ad requiem æ-
ternam perducere digneris,
Vt omnes SS. Conſanguineos
tuos, pro nobis interceden-
tes, exaudire digneris,

Te rogamus audi nos.

AgnusDei qui tollis peccata mundi.
Parce nobis Domine.
AgnusDei qui tollis peccata mundi.
Exaudi nos Domine.
AgnusDei qui tollis peccata mundi.
Miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Pater noſter. Ave Maria

℣. Ora-

℣. *Orate pro nobis omnes sancti, Iesu, Mariæ, & Joseph consanguinei.*

℟. *Vt digni efficiamur præmijs æternis, & vestro consortio in cælis.*

Oremus.

DOmine Iesu Christe, Salvator ac Redemptor noster, in unione meritorum tuorum, Beatæ Mariæ semper Virginis, sancti Josephi, & omnium sanctorum, eorum præcipuè, quos secundùm carnem sacratissimæ tuæ Humanitati Consanguineos habuisti; suppliciter te rogamus, ut quos tanta dignatio, tibi in carne fecit esse conjunctos, eorum interceſſio, nos tibi semper reddat acceptos, & contra omnes incursus diaboli, carnisque illecebras, ac mundi pericula, præstet esse securos; ut bonis operibus jugiter

intenti

intenti, quorum memoriam celebramus in terris, de eorum quóque gloria cum parentibus, consanguineis, & benefactoribus nostris, lætari mereamur in cælis. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

18.

DECLARATIO GRADUUM

Sanctorum Consanguineorum

JESU, MARIÆ, JOSEPH.

Ex eodém libéllo.

1 IEsus Christus; Filius Dei & Mariæ. Consanguineus Iosephi, cujus filius putabatur, *in* 3. *gradu.* Nepos Ioachim & Annæ. Ex regia Davidis stirpe per lineam Salomonis & Nathan.

2. Maria Mater Jesu, Sponsa Iosephi

sephi, ejúsque consobrina, & consanguinea *in* 2. *gradu*. Filia Ioachim & Annæ. Ex regia Davidis stirpe per lineam Salomonis ratione Matris: & per lineam Nathan ratione Patris.

3. Ioseph Pater Iesu existimatus; Sponsus Mariæ, Gener Ioachim & Annæ, itémque hujus ex fratre Nepos. Consanguineus Iesu *in* 3. Mariæ *in* 2. *gradu*. Ex regia Davidis stirpe per lineam Salomonis. Festum 19. *Martii*.

4. Ioachim Avus Iesu, Pater Mariæ Virginis, socer Iosephi, maritus Annæ. Ex Regia Davidis stirpe per lineam Nathan. Festum 20. Martij.

5. Ioannes Baptista Zachariæ & Elisabethæ filius, præcursor Christi. Consanguineus Jesu Wariæ, & Josephi *in* 3. *gradu*. Festum 24. *Iunij*.

6. Iaco-

6. Iacobus *Major* Apoſtolus filius Zebedæi & Salômoes : Ioſephi pronepos. Conſanguineus Ieſu & Mariæ *in* 4to. Joſephi *in* 3. *gradu*. Patronus Hiſpanorum. Feſtum 25. *Julij.*

7. Ioannes Evangeliſta & Apoſtolus. Diſcipulus quem diljgebat Ieſus ; & cui matrem Virginem Virgini deCruce cõmendavit : frater Jacobi majoris, filius Zebedæi & Salômes : Joſephi pronepos. Conſanguineus Ieſu & Mariæ *in* 4to. Ioſephi *in* 4. *Gradu*. Feſtum 27. *Decembris.*

8. Jacobus *Minor* Apoſtolus ; primus Jeroſolymorũ Epiſcopus. Filiꝰ Cleophæ, nepos Joſephi. Conſanguineus Ieſu & Mariæ *in* 3to. Ioſephi *in* 2. *Gradu*. Frater Domini appellatus *ad Galat*. 1. *v*. 19. Patruelis Chriſti, ratione matris ſuæ Mariæ Cleophæ, & B. Virginis, quæ dicebantur ſorores. Feſtum 1. *Maii.*

9. Iu-

9. Iudas *Thaddæus* Apoſtolus, filius Cleophæ, Ioſephi nepos. Conſanguineus Ieſu & Mariæ *in* 3. Ioſephi *in* 2. *Gradu*. Patruelis Chriſti, ratione Ioſephi; ſeu conſobrinus ratione B. Virginis. Feſtum 28. *Octobris*.

10. Cleophas Frater Ioſephi ſponſi Virginei. Conſanguineus Ieſu *in* 3. Mariæ *in* 2. *gradu*. Duorum Apoſtolorum, Iacobi Minoris, & Iudæ Thaddæi pater: duorum, Iacobi *Majoris*, & Ioannis Evangeliſtæ avus. Diſcipulus Chriſti. Feſtum 25. *Septembris*.

11. Simeon, Filius Cleophæ (diverſus à ſene Cognomine, qui Chriſtum in ulnas ſuſcepit) Ioſephi nepos: Patruelis ſeu conſobrinus Chriſti. Conſanguineus Jeſu & Mariæ *in* 3. Joſephi *in* 2. *gradu* Secundus Jeroſolymorum Epiſcopus, fratris ſui, Iacobi *Minoris*, Succeſſor: Diſcipu-

lus Christi. Crucifixus Anno ætatis ſuæ 120. Feſtum 18. *Febr.*

12. Joſeph cognomento *Iuſtus* Filius Cleophæ : Nepos Joſephi Virginei Sponſi. Patruelis, ſeu conſobrinus Christi. Conſanguineus Jeſu & Mariæ in 3. Ioſephi *in* 2. *Gradu.* Cum S. Matthia in electione ad Apoſtolatum propoſitus, *Actor.* 1. *v.* 23. Diſcipulus Christi Epiſcopus Eleutheropoli in Palæſtina. Feſtum 20. *Julii.*

13. Zacharias Sacerdos & Propheta, Pater Joannis Baptiſtæ, Maritus Eliſabethæ Cognatæ Mariæ Virginis. Affinis Ieſu, Mariæ & Ioſephi. Feſtum 5. *Novembris.*

14. Anna Ieſu Christi avia : Mariæ Mater, Ioſephi amita, & ſocrus; uxor Ioachim. Ex regia Davidis ſtirpe per lineam Salomonis. Feſtum 26. *Jul.*

15. Eli-

15. Eliſabetha Mater Ioannis Baptiſtæ : uxor Zachariæ : cognata ſeu conſobrina Mariæ Virginis, & Ioſephi *in* 2. *Gradu*: Ex ſtirpe Regia Davidis, per lineam Salomonis, ratione Matris ſuæ Sobes. Fuit Eliſabetha uxor & filia Sacerdotis; adeóque ratione patris, ex tribu Levi, & Sacerdotali familia Aaronis. *Luc.* 1. *v.* 5. *Feſtum* 5. *Novembris.*

16. Maria *Cleophæ* quinque Sanctorum liberorum mater, quos genuit ex marito Cleopha (fratre Virginei ſponſi Ioſeph) à quo nomen habet : à filio Iacobo *minore* Maria Iacobi dicta. Vnde noveris Mariam Cleophæ, & Mariam Iacobi, unam eſſe eandémque. Mater fuit Mariæ Salômes, & duorum Apoſtolorum; Iacobi *minoris*, & Iudæ Thaddæi: duorũ Apoſtolorũ avia; Iacobi *majoris*, & Ioañis Evangeliſtæ. Soror Mariæ Virginis vocata. *Ioan.* 19. *v.* 25. quia erant

duorum fratrum uxores; hinc filii ipsius dicebantur Christi fratres, id est, consobrini. *Matth.* 13. *v.* 55. P. Iacobus Tirinus, cum aliis, fuisse ait filiam Matthan, adeóque sororem S. Annæ. Ergò consanguinea fuit Iesu *in* 3. Mariæ & Ioseph *in* 2. *Gradu*. Festum 9. *Aprilis* Translatio ejusdem 25. *Maii*.

17. Maria *Salôme* uxor Zebedæi, filia Cleophæ; Neptis Josephi. Consanguinea Iesu & Mariæ *in* 3. Josephi *in* 2. *Gradu*. Duorum Apostolorum Mater; Jacobi *Majoris* & Joannis Evangelistæ: duorum soror; Iacobi *Minoris*, & Iudæ Thaddæi, ac fratrum illorum, Simeonis & Josephi festum 22. *Octobris*.

18. Zebedæus duorum Apostolorũ Pater, Jacobi *majoris*, & Joannis Evangelistæ: maritus Mariæ Salômes, ac proinde Consanguineus Iesu,

ſu, Mariæ & Joſephi : nam Judæi non ſolebant ducere uxores, niſi Couſanguineas ; de certo autem Conſanguinitatis gradu nihil conſtat. Beatus haud dubiè eſt ; ſed quia non reperitur in Martyrologio Romano, non eſt poſitus in Litaniis præcedentibus.

FASCICVLVS V.

Precum Matutinarum.

VT rectè piéque diem tranſigas plurimùm refert benè cæpiſſe. Itáque mane evigilans, protinus diei auſpicio SS. Trinitatis memoriam junge, & cave, ne Actionum & cogitationum primitias alius habeat præter SSS. Trinitatem. Malè & infeliciter tibi nullus ibit dies, quem SSS. Trinitate auſpice cæperis. A fonte enim omnis boni,

quid nisi bonum? cúmque igitur fuerit hora surgendi, ne tardes in lecto; ait Thomas Kempensis; sed assuesce surgere citò, & signa te sanctæ Crucis Signaculo trino. Opusculo de Exercitis Spirit. cap. 5. Signa te ergo *illo Beatissimæ Virginis Documento apud. P. Ioann Nadasi in in Anno SSS. Trnit. cuidam devotissimo Fratri è S. Dominici Ordine contra Doemonem dato. Hebdo. 32.*

Benedicat me Deus † Pater, qui cuncta creavit ex nihilo:

Benedicat me Deus † Filius, qui hominem perditum reparavit Sanguine proprio:

Benedicat me Deus † Spiritus sanctus, cujus me saluet piæ consolationis Infusio.

Deinde solve cor tuum ac vocem in hoc Suspirium.

O Iesu Maria Ioseph, † sint in fronte mea! Iesus, Maria, Ioseph

ſeph, † ſint in ore meo; Ieſus Maria, Ioſeph, † ſint in corde meo, nunc, & in hora mortis meæ, Amen.

O Ieſus Nazarenus † Rex Iudæorum, hic titulus triumphalis, defendat nos ab omnib⁹ malis; & præſervet me â ſubitanea, & improviſa, & mala morte. Amen.

Sancte † Deus, Sancte † fortis, Sancte † & imortalis, miſerere nobis.

O Vtinam hunc diem ſorte ultimum cum gratia tua, ô SSS Trinitas, Sancte impendam, qui tot præteritos tam malè, & ſine fructu perdidi.

Da mi Deus, qui dediſti velle, etiam poſſe & perficere.

Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, Tu nos ab hoſte protege; Et hora mortis Suſcipe, Amen.

Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum, pietate Super-

na, hodie illumina, cuſtodi, rege, & guberna. Amen.

Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducat æternam: Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Amen.

Diei accomodatus, ſive indutus ac lotus in genua coram altariolo tuo procumbe, & dicito:

1. O Inexhauſtæ MiſericordiæDeus, reſpice in me, ſecundùm Multitudinem miſerationum tuarum ego omnia peccata mea tranſactæ noctis; & totius vitæ meæ impiè commiſſa in te Deum meum, me ipſum, & proximum meum depono in abyſſum æternæ charitatis tuæ; doleo ex intimo corde meo, me tam ingratum fuiſſe tot beneficiis tuis, & toties te Deum, & ſummum bonum offendiſſe. Precor

ergò

ergò te, ô clementissime Pater, per mortem, & amorem Filii tui Jesu Christi: ut parcas misero, & dimittas clementissimè, quidquid hâc nocte, vel unquam in te Deum meum, me ipsum, & proximum meum peccavi. Erige cor meum ad te in cælum, & ne permittas me vagari super terram. Non me vincat Domine, Caro & Sanguis; non me decipiat mundus & brevis gloria ejus; non me supplantet Diabolus & astutia illius. Justificationes tuas, ô Deus, custodiam: viam iniquitatis amove à me. Abrenuntio Sathanæ cum omnibus pompis ac operibus suis: & adhæreo tibi Domine Jesu Christe.

II.

O Misericordissime Deus, gratias tibi ago; Sanctissimæ Matri Virgini Mariæ, Sancto Angelo Custodi, & Josepho, ac omnibus San-

ctis, de nocte hâc (multis fortè aliis hâc ipsâ ad judicium vocatis, & ob minora, ac mea sunt, peccata ad infernum lapsis) feliciter transacta, quod mortuus in peccatis non fuerim, sed ad hunc usque diem servatus, ut per fidem, pœnitentiam, ac Christianæ legis opera, gratiam Dei mihi conciliem in hoc brevi, & incerto vitæ curriculo.

3 O Clementissime Deus, in gratiarum actionem ad te primum suspirium, & æstus cordis mei dirigo: tibi me totum, qualemcúnque quantulum, & omnes animæ vires; & corporis sensus, & omnia offero, & immolo: ut de me, meisque omnibus tanquam de tuis statuas; vitam meam ad tui nominis gloriam dirigas, bonis Suggestionibus intellectum illustres; fervore charitatis affectum ad te moveas; Sensus ser-

mones

mones , & actus meos ad animæ meæ & proximi ſalutem componas.

4. O Piiſſime Deus , rogo te , ut hodiernâ die ab omni peccato me Cuſtodias ; ne cogitatione , verbo , vel opere , aut negligentiâ, divinam tuam Majeſtatem ullo modo offendam.

5. O Amantiſſime Ieſu , ego me hodie , & ſemper in manus tuas commendo , quem admodum tu moriens in cruce te in manus Patris ,& Beatiſſima Mater tua , ſe tibi commendavit. Fac ut tuam ſemper in omnibus voluntatem faciam , ſecundùm te vivam, & in te moriar, idque omnibus fidelibus concedas : oro maximè pro meis Conſodalibus, & omnibus his , pro quibus orare tenor ; per lacrymas , ſudorem. & ſanguinem tuum; per dulciſſimam Virginem Matrem tuam , per fideliſſi-

lissimum Iosephum Nutritium tuum, & per omnes sanctos, & electos tuos, mihi & illis hodie & semper tuâ gratiâ assistas.

6. OSpes animæ meæ post Deum virgo Maria! in illam commendationem, & in illam fidem, quâ te dilectus Filius tuus Dominus noster Iesus Christus præelecto Discipulo suo Ioanni commendavit, tibi hodie,& quotidie corpus meum, animam meam,horam exitûs â corpore animæ meæ, & omnes actus meos; ac precor te, ut serves me à peccatis,â scandalo, ab omni confusione humana; ab immundis cogitationibus; ab omni mortali peccato; à subitanea, improvisa,& mala morte; ab omnibus periculis animæ, & corporis: nec unquam me tale permittas facere peccatum, quo gratiam tuam amittam. Da

mihi

mihi de præteritis emendationem, de præſentibus cuſtodiam, & de futuris cautelam. Da mihi in hac vita promptum adiutorium. Eſto mihi in tremendo judicio prælocutrix apud Filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Amen.

7. Obſecro te Angelice Spiritus Cuſtos, & Tutor meus fideliſſimus, ut me, Cuſtodiæ ac Protectioni tuæ ex divina voluntate commiſſum, in via pacis, proſperitatis, & ſalutis, hodie, & ſemper dirigas, átque ab omni Spiritu malo defendas. Aſſiſte mihi fideli cuſtodiâ, ut te adjuvante, ſentiam efficax Dei auxilium, quo ſerver à lapſu, & periculis: in gratia verò, bonísque operibus, & Dei Creatoris mei cultu, & amore conſtans permaneam, eúmque unà tecum, & ſanctis omnibus laudem per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

O San-

8. O ſancte Joſeph, qui tanquam Pater & Manuductor Chriſtum Ieſum in pueritia & juventute per omnes peregrinationis humanæ vias fideliſſimè deduxiſti: & mihi obſecro, in vitæ meæ peregrinatione tanquam Comes & Ductor aſſiſte, nec unquam permitte me à via mandatorum Dei declinare: ſis in adverſis præſidio, in ærumnis ſolatio, in omnibus periculis tum animæ, tum corporis auxilio: rege, doce, & dirige me in cunctis neceſſitatibus, tentationibus, & operibus meis, donec tandem ad terram viventium perveniam, ubi tecum, & cum ſanctâ Sponsâ tua Maria, omnibúsque Sanctis æternùm in Deo Jeſu meo gaudeam, & exultem, Amen.

9. Ave Patriarcharum decus, ſponſe, Comes & Solatium Mariæ, Tutor & Nutritie Jeſu Chriſti, te ſa-

lu-

luto, te veneror, te invoco, per ſummam gratiam, quam conſecutus es, per eminentem gloriam, quam adeptus es, adjuva me precibus tuis indignum & pauperemClientem tuum, ut hodie, & ſemper omnia opera mea cedant Domino meo in odorem ſuavitatis, & in animæ, ac corporis mei ſalutem,& profectum: adſis mihi quoque in extremo vitæ meæ agone, & impetra, ut non niſi omnibus Eccleſiæ Sacramentis ritè munitus ex hoc mundo decedam cum certâ ſpe æternæ meæſalutis. Amen.

O Jeſus, Maria, Ioſeph, mecum ſèmper ſit in omni loco, actione, tempore & tribulatione. Amen.

10. O GlorioſiſſimeCælorumDepoſitarie, Virginis Deiparæ ſupra Virgines omnes Sponſe caſtiſſime, Salvatoris Pater. Protector, & Nutri-

tritie ſtudioſiſſime, Myſteriorum Dei Aſſeſſor digniſſime, teſtísque fideliſſime Ioſephe, & vos mihi ſingulariter dilecti ſancti Patroni, & Advocati mei N. N. congaudeo, & congratulor ex animo gloriæ & fœlicitati veſtræ: ſed ſuſpirat, & anhelat ad vos gemens & tremens anima mea inter tot hoſtes, & ſalutis diſcrimina. Vos mei, Clientis veſtri, memores eſtote, & obtinete mihi gratiam Dei validam, & efficacem, quâ adjutus, & ego ſequar veſtigia veſtra ut fortiter hoſtibus meis, mundo, carni & diabolo reſiſtam, nec ullis unquam ipſorum inſidijs, & viribus ſuccunbam; ſed Chriſto Ieſu ſalvatori meo úſque ad Mortem exemplo veſtro conſtanter adhæream: ut nunc vobis in gratia, & tunc conjungar in gloria,

Deum

Deum unâ vobiscum laudem per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Oratio

Pro defunctis.

O Pijssime Iesu, miserere animabus in Purgatorio detentis, pro quibus redimendis humanam Naturam assumpsisti, mortémque amarissimam subijsti. Miserere gemituum, miserere lacrymarum, quas ad te fundunt: & per virtutem Passionis tuæ condona eis pœnas pro peccatis ipsarum debitas. Descendat pijssime Iesu, sanguis tuus in Purgatorium, & recreet, refrigerétque ibi captivas ac patientes Consodalium nostrorum animas. Porrige eis dexteram tuam, & duc eas in locum refrigerij, lucis, & pacis, Amen.

FASCICVLVS VI.

In quo

Exercitiorum Diurnorum.

PRÆPARATIO

Ante Horas Canonicas.

Vt officium divinum cum devotione ac fructu recitare valeas, memento obeundam modò tibi esse actionem omnium quæ in Cœlo & terra fieri possit, præstantissimam, quæ est laudare magnificare, & exaltare infinitam Majestatem Dei Creatoris & Domini Vniversi, per hos divinos Psalmos, hymnos, lectiones, & Orationes quas es recitaturus tanquam totius Creaturæ legatus ad Deum. Deinde considera

ra

rate versari in conspectu divinæ Omnipotentiæ, & conspici à glorioſiſſima Virgine Maria & univerſa cæleſti Curia. Atque adeò attentionem in ſingulis verbis adhibeas; quam frequenter excitabis, Dei, quem alloqueris, recordatione. Quæ diſtrahunt importunæ cogitationes, eas ſenſim ac leviter repellendo contemnas. Quoties mentem aliò divertiſſe adverteris, toties eam ſtatim colligendo, dirigas ad Deum. Corpus modeſtè ac devotè componas: Oculos præſertim cuſtodias, ut ſint debitæ attentionis miniſtri. A verbis inutilibus, riſu, ac jocis maximè caveas; & ſi quod verbum dicere vel reſpondere oportebit, id citò ac breviter expedias. Has tres ſequentes intentiones quotidiè tibi propoſitas habeas; quarum Prima eſt laudandi, honorandi, & glorificandi divinam Majeſtatem, átque ejus divinas perfectiones

nes ſive in ſe, ſive in ſuis ſanctis, ut cùm recitatur officium B. V. aut ſanctorum aliorum. Altera eſt gratias agendi Deo pro beneficijs omnibus naturæ, gratiæ, & gloriæ, quæ collata ſunt in ſanctiſſimam Chriſti humanitatem, in Beatam Virginem, in omnes Beatos, in noſmetipſos, & univerſos proximos noſtros.

Tertia eſt obtinendi à Deo remiſſionem peccatorum noſtrorum, & omnium electorum ejus, & impetrandi omnes illas gratias ſpirituales & temporales, quæ unicuique neceſſariæ ſunt ad divinæ ſuæ Majeſtatis gloriam.

Quapropter quoties inchoabis Officium, cogitabis te legatum eſſe ſanctæ Eccleſiæ ad Deum, ut illius tuóque nomine hæctria facias. Itáque ad initium, attolles mentem ad Deum, trésque illas Intentiones puncto temporis renovabis, ſimúlque Beatos omnes invita-

vitabis ut eas tecum Deo Domino nostro offerant: aut recitabis Orationem, quæ hîc sequitur. Ex Directorio R. P. Petri Iustinelli.

Oratio I.

Ante Divinum officium.

SIt ad laudem & gloriam SSS. Trinitatis, & glorioſiſſimæ Humanitatis Domini mei Ieſu Chriſti, in unionem Omnium ſerventiſſimarum & acceptiſſimarum Orationum, quas fecit dum in terris degeret, & facit modò ad dextram Patris, & per Omnes ſenſus Myſticos, quos in hoc officio intendit ſpiritus ſanctus. In unionem omnium laudum, quibus modò in cælo, & per univerſum mundum Dei Majeſtas laudatur, & glorificatur. Ad honorem glorioſæ V. Mariæ: & Omnium SS. ſed præcipuè ſancti NN. Cujus in fide & de-

votione ſum. Ad exaltationem totius ſanctæ Eccleſiæ, & ejus intentionem. In memoriam Paſſionis Domini, & in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, quæ Deus in me contulit. Atque inprimis pro omnibus, qui ſe unquam meis orationibus Commendaverunt, vivis & mortuis. In pœnitentiam & remiſſionem omnium peccatorum meorum. Ut conſequar gratiam Dei, deſidero recitare hoc officium. Placeat ejus infinitæ Miſericordiæ præſtare, ut id dignè facere poſſim. Amen.

Ad initium cujúsque horæ, quæ ſepteno earum numero Myſticè deſignantur. breviter cogita. Hæ enim ſanctiſſimam Paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſignificant: Ut Matutinum, *quando in horto captus & vinctus eſt.* Prima, *quando in domo Caiphæ ſputis fæ-*

fædatus, & alapis Cæsus est. Tertia, *quando injusta in illum mortis sententia lata est.* Sexta, *quando crucifixus est in monte Calvariæ.* Nona, *quando expiravit & latus ejus lanceâ apertum est.* Vesperæ, *quando depositus est de Cruce.* Completorium, *quando sepultus est.* *Iam ante quamlibet dic:*

DOmine, in unione illius divinæ intentionis, quâ ipse in terris laudes Deo Patri persolvisti, hanc tibi horam persolvo; ad laudem & gloriam nominis tui, in sæcula sæculorum, Amen.

II.

Ad Matutinum.

DOmine Iesu, per amorem, quo tuos in fide dilexisti, per sanguineum sudorē, quem in horto fudisti, per injurias & dolores, quos

à tuo Discipulo traditus & venditus, ab impijs Iudæis ligatus & distractus sustinuisti, absolve meorum vincula peccatorum, trahe & liga hanc animam meam, tibíque adstringe triplici charitatis funiculo, qui dissolvi non possit, & æternum non separer à te. Qui vivis, &c.

Ad Primam

DOmine Iesu, qui horâ diei primâ Pilato præsentatus; Iudex Cælestis, Iudici terreno; & reus falsorũ criminum ab impijs Pontificibus factus fuisti, succurre nobis miseris peccatoribus in judicio ut non æternis supplicijs cõdemnemur, sed tuis fidelibus jungi in Cælestibus mereamur. Qui vivis, &c.

Ad Tertiam.

DOmine Iesu, qui horâ diei tertiâ flagellatus, cæsus, & spinis

nis coronatus fuiſti, tribue nobis famulis tuis, ut Corpora noſtra voluntariâ caſtigatione macerantes, ſub capite ſpinoſo digna cenſeri membra mereamur. Qui vivis, &c.

Ad Sextam.

DOmine Ieſu, qui horâ diei ſextâ transfoſſis manibus & pedibus, é Crucis ligno pependiſti, ijsdémque clavis damnationis noſtræ Chirographũ in patibulo confixiſti; concede animæ meæ, ut liberata à ſervirute peccati, has ſanctiſſimas plagas tuas, tanquam inſignia liberationis ſemper feram in medjo Cordis mei. Qui vivis, &c.

Ad Nonam.

DOmine Ieſu, qui horâ diei nonâ, conſumatis omnibus, inclinato capite Deo Patri ſpiritum reddidiſti, átque in mortuum hominum genus ſpiraculum vitæ inſpira-

sti; concede mihi peccatori, ut qui totum me tibi debeo pro me facto, totum me iterum reddam pro refecto, nec jam mihi, sed tibi: qui pro me mortuus es, in perpetuum vivam. Qui vivis, &c.

Ad Vesperas.

DOmine Jesu, qui horâ vespertinâ è cruce deponi mortuus in sanctissimæ Genitricis tuæ brachia voluisti; Concede propitius, ut, & crucem meam, quam mihi largiri pro tua bonitate volueris, nunquam in vita derelinquam, & in morte ex ea depositus, per clementissimæ Matris tuæ manus ante te merear præsentari. Qui vivis &c.

Ad Completorium.

DOmine Jesu, qui horâ Completorii in sepulchro quievisti, & à Matre tuâ mæstissimâ, & ab aliis

aliis Mulieribus planctus fuisti : fac nos, quæsumus, tuam sanctissimam Passionem veris lacrymis plangere, nec unquam ea, per quæ iterum crucifigaris, admittere. Qui vivis &c.

III.

Post omnes preces, vel alia spiritualia excercitia dicitur :

LAus Deo, pax vivis, requies Defunctis, Ecclesiæ exaltatio, Principibus Chtistianis concordia, fidei incrementum, hæresum extirpatio ; Cælitibus exultatio, dæmonibus confusio, afflictis consolatio, huic domui benedictio, fidelibus perseverantia, peccatoribus pænitentia: omnibus Ordinibus vera disciplina, & charitas fraterna, benefactoribus nostris larga retributio, animabus fidelium divina fruitio, in æterna sæcula sæculorum, Amen. Laus Deo.

Vel

Vel dic post divinum officium hanc Orationem.

SUſcipe clementiſſime Deus, precibus & meritis B. Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum & Sanctarum Officium ſervitutis noſtræ, & ſiquid dignum laude egimus, propitius reſpice; & quod negligenter actum eſt, clementer ignoſce. O Agne Dei benigniſſime & manſuetiſſime miſerere mei: & per temeti pſũ ſupple quidquid in hoc Officio neglexi; ſuſcipe, quæſo, illud in amore illo ſuperexcellenti, in quo omnia vulnera tui ſanctiſſimi corporis ſuſtinuiſti, & applica mihi, & omnibus peccatoribus, cunctísque fidelibus, tam vivis, quàm defunctis, merita vitæ tuæ ſanctiſſimæ & mortis amariſſimæ, in remiſſionem peccatorum, & præmium vitæ æternæ, Amen.

IV. O-

IV. Oratio.

Ad S. Joſephum pro pia lectione, & Concione.

O S. Joſeph, qui cum Beatiſſima Sponſa tua, S. Thereſiam ad ſublime Sanctitatis ſtudium tuis precibus adjuviſti; id quod illa peculiari revelatione accepit: incende in me ſolidum ſtudium ſanctitatis, lectione, concione, ac omnibus ad ſanctitatem comparandam idoneis Inſtrumentis. S. Joſeph per illud gaudium, quod habuiſti, quando Ieſum tuum *in medio Doctorum* inveniſti, doce me, ut intelligam, quid potiſſimum pro Dei gloria, & animarum ſalute ſcire, quid docere debeam: quatenùs per gratiam ſancti Spiritûs, pro qua per te ſupplico, *ad juſtitiam erudiam* multos, & poſtea tecum gaudeam *in perpetuas æternitates.*

tes. Amen. Jesus, Maria, Ioseph ! Amen.

V.

DUm per Cæmeterium transis, in memoriam revoca, quod aliquando duobus Religiosis per Cæmeterium transeuntibus, & nihil orantibus contigit, dum scilicet hanc vocem audire coacti sunt : Hi, qui prætererunt, non dixerunt: requiescant in pace, *cùm ergò rediissent, & orantes dixissent* : Ecce benediximus vobis; *audierunt aliam vocem* : Dominus Deus illuminavit vos; *imaginare ergò cuivis sepulchro inscriptum, quod nonnemo suo inscribi jusserat* : Hic jaceo, & clamo ad te, ne transeas, ora pro me. *P. Tob. Lohner de obs. erga Defun. Dic igitur; sub transitu per Cæmeterium:*

Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Amen.

Ave-

Avete omnes Chriſti fideles animæ: det vobis requiem ille, qui eſt vera requies Jeſus Chriſtus Dei vivi Filius, qui natus eſt de immaculata Virgine Maria, pro noſtra omniúmque ſalute, & vos redemit ſuo pretioſo ſanguine; benedicat vos & à pœnis liberet, faciátque vos in Corporibus veſtris reſurgere in die Reſurrectionis, & Angelis ſuis vos aſſocians in cælis, ſecum ſine fine gaudere, Amen.

Deus fidelium lumen animarum adeſto ſupplicationibus noſtris, & da famulis, & famulabus tuis, quorum corpora hîc & ubique in Chriſto requieſcunt, refrigerij ſedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

℣. *Requieſcant in pace.*

℟. *Amen.*

Va-

Valete vos omnes fideles animæ; quarum corpora quieſcunt in gremio terræ ſepulta; benedicat vos ſol juſtitiæ, & claritate luminis vos perfrui faciat ſine fine, Amen.

VI.

Adoratio SS. Sacramenti ante Venerabile dicenda.

SAlve centies & millies Domine mi Ieſu Chriſte Redemptor & Salvator. Salve nobiliſſimum Corpus & pretioſiſſime Sanguis Domini mei Ieſu Chriſti, ſub hâc panis ſpecie verè præſens, te adoro tali cultu & devotione, quâ novem Angelorum Chori te venerantur & colunt. Coram te procido in ſpiritu humilitatis, credens & confitens, quod tu Dominus meus, & Deus meus verè hîc contineris. Salve nobiliſſimum corpus Salvatoris mei Ieſu Chriſti, vera hoſtia in cruce immola-

molata. Adoro te in unione istius adorationis, quâ Humanitas tua adoravit Divinitatem: & cum affectu totius Vniversitatis ago tibi gratias, quòd pro salute nostra hîc delitescere dignaris. Salve pie Iesu Verbum Patris, Splendor gloriæ, Fons pietatis; Salus mundi, Hostia sacra. Salve Jesu Christe, splendor Patris, Princeps pacis, Ianua cæli, Panis vivus, Virginis Partus, Vas Deitatis. Credo firmissimè, quod tu Deus meus hîc præsens sis, méque ex hoc Sacramento intuearis, atque intima cordis mei perspicias. Credo, quòd sub hâc panis specie non solùm caro, & sanguis tuus, verùm etiam Deitas & Humanitas tua contineatur. Quod licet intelligere nequeam, adeò tamen firmiter credo, quòd vitam & sanguinem meum pro ea veritate profundere paratus sim.

Coram te, ô SS. Sacramentum cum ſummâ reverentiâ procido, & cum omnibus Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cum Cherubinis & Seraphinis, cúmque omni militia cæleſtis exercitûs hymnum gloriæ tuæ concino, dicens: centies millies laudetur SS. Altaris Sacramentum. O Dominus meus, & Deus meus! credo & confiteor te hîc verum eſſe Chriſtum, Filium Dei viventis, qui in hunc mundum veniſti ad ſervandum peccatores, inter quos ego primus ſum Ah mi Domine Jeſu dulciſſime! firmiter itáque credo te in hoc venerabili Sacramento tam potentem exiſtere, tantâque gloriâ fulgere, quantâ fulges in cælo. Et ob hoc ita vehementer gaudeo, ut, & vitam meam, & omnium hominum vitas, qui unquam fuerunt, vel adhuc futuri

turi sunt, si meæ essent, vellem dare ad tuendam hanc veritatem: & hoc purè ob tui amorem. At quia id minimè mereor, recipe, obsecro ad tuum honorem & gloriam hoc præsens meum desiderium. Et deprecor te, miserere mei, & remitte mihi delicta mea spontanea, in dictis & factis scienter, vel ignoranter commissa. Dignare me citra judicium fieri participem immaculatorum mysteriorum tuorum, in remissionem peccatorum, & vitam æternam. Amen.

Alia praxis piè, ac devotè salutandi venerabile Sacramentum. Ex via Franciscana.

SAlve benedicte Iesu, benedic indigno servo tuo; ut per te benedictionem referat, qui de se maledictionis reus est: & per te salvus sit, qui per se damnabilis est. Salve

myſterium fidei, & ſacramentum fidelium. Credo te, dilecte Ieſu, hîc præſentem eſſe eundem, qui de ſpiritu ſancto conceptus, ex Maria Virgine natus, in cruce mortuus, & à morte redivivus in cælum deinde es elevatus. Huic fidei ſubmitto intellectum meum, eúmque tibi offero captivum: in hâc fide cupio vivere, & deſidero mori. Salve Sacramentum ſpei; ſpero in te ſalutis meæ alimentum. O Deus ſpei meæ, iſto me Sacramento ſpei moriturum refice, ut non confundar in æternum. Salve Sacramentum amoris; amo te ſummum meum bonum in terris, quô mihi conceſſum eſt frui bono: & ut amare te nunquam deſinam, amorem meum teipſo amoris pabulo inflamma. Salve panis Angelorum, da, ut vivam Angelicè, qui eſcâ vermium nutrior. Salve

eſca

eſca timentium Dominum, ſalutarem in me timorem nutri, quo te reverear ut Patrem, timeam ut Iudicem, & nec offendam Patrem, nec irritem Iudicem. Salve vita Pauperum. & panis egentium, dita me virtutum meritis, & refice gratiæ donis. Salve verbum Caro factum, habita in me, & ut digne habites, per gratiam tuam munda me. Salve Deus abſcondite, & Salvator, illumina mentis meæ oculos, ut te abſconditum videam, & Salvatorem experiar. Salve Panis Filiorum, ſatia me, ut ſim filius, & da, ut ſemper te eſuriam. Salve magnum ſalutis meæ pretium, nec patere, obſecro, ut per me illud, quod tantis te amoris, & doloris conſtitit impenſis, fruſtrà ſit erogatum. Salve viaticum in domo morientium; dona, ut de te ſemper vivam, ſine te non moriar:

riar: hoc rogo te per illum, qui te hîc detinet, ſalutis meæ amorem. Salve pignus futuræ gloriæ, utinam ita hoc utar pignore, ut gloriâ non excidam. Amen.

VII.

Oratio ante Concionem.

DIgnus es Domine, accipere omnem gloriam, & honorem. O utinam omnes ad te Creatorem ſuum convertam! Eja Domine, video, quòd infiniti pereant, tuo ſanguine & laboribus empti: & nemo poteſt venire ad te, niſi tu traxeris eum: quid ergò ego pollutis labiis & corde præſtare potero ſine te? da igitur mihi gratiam ad hoc, ad quod vocaſti me, & adſint mihi Angeli tui, ut ad tuam unius gloriam fiant univerſa, Amen.

Poſt

Post Concionem.

MAgnificat anima mea Dominum, tuum est ô Jesu ! quod dixi, à quo omnis sufficientia nostra. Ignosce imperfectionibus meis, ne & convertendis obsint, & repetas eos de manu mea. Benedic, Domine, ut terra hæc afferat fructum suum; Et vos Angeli sancti Dei intercedite pro nobis. Amen.

O utinam vivam, ac videam adimpletam voluntatem Dei! Amen.

Jesus, Maria, Joseph !

VIII.

Oratio.

Ante Administrationem Sacramenti Pœnitentiæ.

Ex S. Carolo Boromæo.

OMnipotens & misericors Deus, qui me indignum sacerdotalis Officii ministrum fecisti, atque ad o-

randum, & interpellandum ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum pro peccatoribus, & ad pœnitentiam revertentibus mediatorem conſtituiſti. Ideóque Dominator, qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire (qui non vis mortem peccatorum, ſed ut convertantur & vivant) concede mihi propitius B. Mariâ ſemper Virgine intercedente, cum beatis Angelis Cuſtodibus noſtris, & omnibus Sanctis, tuæ divinæ charitatis affectum & gratiam, ut, quæ mei ſunt muneris dignè valeam implere, ac famulis & famulabus tuis ad pœnitentiam revertentibus ſpiritum veræ compunctionis largiri digneris, ut reſipiſcant à diaboli laqueis, quibus adſtricti tenentur, & ad te per dignam ſatisfactionem, & emendationem revertan-

tur

tur. Et si quid à me in meo munere sive per negligentiam, sive per ignorantiam, quod absit, peccetur, pro tua infinita pietate, & misericordia supplere digneris. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c.

Post auditas Confessiones.

DOmine Jesu Christe dulcis Amator, & Sanctificator Animarum, purifica, obsecro, per infusionem sancti Spiritûs cor meum ab omni affectione, & cogitatione vitiosa, ac suscipe hoc obsequii mei ministerium in amore illo superdignissimo, quo B. Mariam Magdalenam, omnésque ad te confugientes peccatores absolvisti: Et quidquid in Sacramenti hujus administratione negligenter, minúsque dignè perfeci, tu per te pro tuâ pietate infinitâ, & misericordiâ supplere & satisfacere digneris. Omnes & singu-

los, qui modò mihi confeſſi ſunt, commendo dulciſſimo cordi tuo, rogans, ut eoſdem cuſtodias, & à recidivâ præſerves, atque poſt hujus vitæ miſeriam tecum ad gaudia perducas æterna, Amen.

IX.

Forma in Commutatione votorum exprimenda. *Ex Manigart.*

Cùm quis ex ſuperiorum conceſſione vota commutat, hâc vel ſimili formâ uti poterit:

AVctoritate Domini noſtti Jeſu Chriſti, & beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli, & S. D. N. Papæ N. vel Reverendiſſimi & illuſtriſſimi Epiſcopi N. commuto votum *peregrinationis*, vel *abſtinentiæ*, vel hujuſmodi per te factum in alia opera pieratis tibi ſignificata, decer-

cernens te ad illius obſervationem de cætero non teneri. In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti, Amen.

Notandum.

OBligatio voti ceſſat, quoties ſupervenit notabilis mutatio & difficultas, quæ ſi prævisa fuiſſet votum judicio prudentis factum non fuiſſet. Vovens enim non præſumitur habuiſſe voluntatem obligandi ſe ſuperveniente tali obligatione. *Bonac. apud Manigart. p.* 1. *c.* 9. *n.* 26.

Jubileus ſemel obtentus dat jus omni tempore, etiam poſt Jubileum eligendi Confeſſarium, pro ijs gratiis acquirendis, quæ tempore Jubilæi obtineri poterant, & tamen obtentæ non fuerunt. *Gobat.*

X. No-

X.

Notata circa casus reservatos.

UT peccatum aliquod censeatur esse reipsâ reservatum. Hæc sequentia requiruntur. *Primò*, Ut peccatum illud sit mortale, nam venialia vel nequeunt, vel eertè non solent reservari, cùm nemo teneatur illa confiteri. Debet autem illud peccatum esse mortale non tantùm ex objecto, sed integrè, & perfectè, adeóque cum tantâ advertentiâ ad malitiam mortalem, quanta requiritur ad merendum sine ulla excusaitone infernum. Quare si percutias quidem injustè Clericum, at cum tanto impetu iræ, cum tam parvâ negligentiâ in examinando periculo, ut ille iræ motus, & negligentia te excusent, sicut sanè quandóque excusant à peccato mortali coram divina majestate, esto non à ma-

magno veniali, poterit quisque unius diei Presbyter tibi impertiri absolutionem. *Secundò*, Vt sit peccatum externum ; nulla enim excomunicatio, vel casus reservatus incurritur propter actum merè internum, *v.g.* peccatum cogitationis, hæresim mentalem &c. Quia Ecclesia non judicat de internis & occultis, seu requiritur actus externus cum effectu, verbo vel opere externo demonstratus ; & quidem consummatus. Hinc actus indifferentes, reservati autem, si fiant malo animo, non subjacent reservationi, tametsi pessimâ intentione exerciti, nisi illa intentio foris manifestetur. Rursum licet dicas in tuo animo: *Nullus est infernus, fides Papistica est nihil melior Calviniană*, hoc tamen tuum mortalissimum crimen poterit tibi tuus Parochus æquè ac Papa

pa remittere; ſecùs ſi ex animo ita loquereris; nam verba, etiam nemine audiente, ſunt de ſe ſigna animi Conceptuum. *Tertiò*, Vt illud peccatum ſit non modò inchoatum ſed planè perfectum, & conſummatum ſecundùm tenorem Conſtitutionis illud reſervantis. Quare ut injuria corporalis annumeretur homicidio reſervato, non ſufficit inflixiſſe vulnus lethale, aut præbuiſſe lethiferum venenum, ſed requiritur, ut reipsâ ſit inde ſecuta mors. Item caſum inceſtûs reſervatum non incurrit exerceus etiam turpiſſimam turpitudinem cum conſanguinea, niſi copulam carnalem perfectam exerceat, ex qua nimirùm poſſit, per ſe loquendo, ſequi generatio prolis, id eſt, ut ſemen virile recipiatur intra vas naturale Mulieris, &c. Ratio hujus, & plurium aliarum

liarum resolutionum ad reservationem spectantium generalis est. *Gobat tra. 7. n. 353. &c.*

XI.

Absolutio Generalis.

Seu Indulgentia plenaria Confratribus sacri Scapularis in mortis articulo constitutis impertienda.

Si infirmus sacramentalem fecerit Confessionem, præmittet Sacerdos huic generali absolutioni, seu Indulgentiæ, more solito absolutionem à censuris, & peccatis, &c.

DOminus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam, recipiat confessionem tuam, & remittat tibi omnia peccata, quomodocunque per totum vitæ decursum à te commissa: & ego authoritate illius

& bea-

& beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, per Indulgentiam plenariam, à ſede Apoſtolica Confratribus Beatæ Mariæ de monte Carmelo in mortis articulo conſtitutis conceſſam, remitto tibi omnem pœnam, pro univerſis delictis tuis in purgatorio tibi debitam, & reſtituo te illi puritati, quam in Baptiſmo accepiſti: ita, ut decedenti tibi ab hoc ſæculo, clauſæ ſint portæ pœnarum, & apertæ januæ Paradiſi. In nomine Pa✝tris, & Fi✝lij, & Spi✝ritûs ſancti Amen.

Alia brevior.

AVthoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, et beatorum Apoſtolorum Petri et Pauli, tibi indultâ, et mihi commiſſâ, concedo tibi omnem illam Indulgentiam peccatorum tuorum, quam concedere poſſum virtute Privilegiorum Apoſtolico-

licorum: si tamen hâc vice moriaris, aliàs eam tibi reservo, pro vero mortis articulo. In nomine Patris. &c.

Item alia pro Confratribus SS. Rosarii.

DOminus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam pijssimam misericordiam recipiat confessionem tuam, & remittat tibi omnia, quæcúnque, vel quomodocúnq; in toto vitæ decursu commisisti, de quibus corde contritus, & ore confessus es, restituens tibi stolam primam, quam in Baptismate accepisti, & per Indulgentiam plenariam, & à summis Pontificibus Innocentio VIII, & Pio V. Confratribus SS. Rosarii in articulo mortis constitutis concessam, libe-

ret te à præſentis, & futuræ vitæ pœnis, dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas inferni claudere, Paradiſi januam aperire, tèque ad gaudia ſempiterna perducere, per ſacratiſſima ſuæ vitæ Paſſionis, & glorificationis myſteria in ſanctiſſimo Roſario comprehenſa. Qui cum Patre & Spiritu ſancto, Deus unus vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Forma abſolvendi eos, qui numquam fuerunt Catholici. Ex via Franciſc.

Dicto Confiteor &c. *Sacerdos dicit:* Miſereatur &c. Indulgentiam &c.

DOminus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego authoritate ipſius, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ N. mihi commiſſâ, abſolvo te ab omni vin-

vinculo Excommunicationis, quo teneris propter hæresim, in qua ab incunabulis vixisti, & incorporo te gremio sanctæ Matris Ecclesiæ, communioni fidelium, & participationi Sacramentorum ejusdem sanctæ Romanæ Catholicæ, & veræ Apostolicæ Ecclesiæ. Deinde eâdem Authoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spi†ritûs sancti, Amen.

Forma absolvendi Apostatas à Fde.

Dicto Confiteor, *&c. ut suprà.*

DOminus noster Jesus Christus, te absolvat, & ego Authoritate ipsius, & sanctorum Apostolorũ Petri & Pauli, nec non sanctissimi Domini nostri Papæ N. mihi commissâ, absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis, quam incurristi propter Apostasiam à fide, & errores,

rores, quos fortaſſis etiam alijs tradidiſti, & reſtituo te gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ, communioni Fidelium, & participationi Sacramentorum ejuſdem ſanctæ Romanæ Catholicæ, & veræ Apoſtolicæ Eccleſiæ. Deinde eâdem Authoritate abſolvo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Pa✝tris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen.

FASCICVLVS VII.

Punctorum

Examinandæ Conſcientiæ,

Atque

Precum ante & poſt Confeſſionem uſurpandarum.

Ex Juſtinello. Floribus Roſarum. Precibus Gertrudianis. deliciis Euchariſticis, & aliis.

QUia ex S. Gregorii, & aliorum Doctorum ſententiâ inter alia damna

mnatiouis argumenta gravissimus Sacramentorum abusus recensetur ; eò quòd experientia constet , à plurimis Christianis magis multiplicari quotidiana delicta , quamvis frequentiores sint ad suscipienda Sacramenta : undè remedium salutis , plurimis efficitur causa gravioris damnationis ; dum nulla sequitur depravatæ vitæ correctio, & corruptorum morum emendatio: consultum duximus, brevissimum insinuare modum quotidiani Examinis Conscientiæ : ut quilibet pro suo statu excerpat , quæ deliquisse conscientia cujusque dictat. Omnium autem primò S. Spiritûs implorabit auxilium dicendo :

Veni sancte Spiritus , reple tuorum corda fidelium, & tuæ lucis radium in me infunde ; ut distinctè cognoscam, dignè defleam & integrè confitear peccata mea , ad laudem

& gloriam nominis tui, & ſalutem animæ meæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Deinde examinabit ſeipſum juxta modum ſequentem.

Punctum I.

Circa Cogitationes.

1 AN voluntariè *Otioſas*, id eſt inutiles ſibi & ſuis proximis, cogitationes in animum receperit?

2. *Vanas*, optando ſeu aſpirando ad honores, exiſtimationem, reputationem; appetendo divitias, & mundanas ambiendo dignitates.

3. *Superbas*, & ambitioſas, ſeipſum magnificando, & cum aliorum deſpectu, aliis ſe præferendo: Eccleſiaſticæ dignitatis gradus exoptando; præſertim cum illorum incapax, illísque indignus ſit.

4. *Avaras*, id eſt, ſuperfluas con-

cu-

cupiscendo divitias, pecunias, commoditates, Ecclesiastica beneficia & obventiones.

5. *Impuras*, rebus sensualibus se oblectando, vel mente illas versando.

6. *Gulosas*, superfluè manducando, exquisitos cibos, seu lautas epulas desiderando.

7. *Iracundas*, excogitando quomodò aliquam sibi irrogatam possit vindicare, & ulciscì injuriam.

8. *Odiosas*, optando cuipiam malum, vel habendo ab aliquo aversionem, seu excogitando quomodò alicujus possit lædere honorem, vitam, aut famam, vel facultates.

9. *Invidas*, de proximorum bonis dolendo.

10. *Suspicionas*, sinistrè, & malè de quopiam sine causa suspicando.

11. *Temerarias*, temerè sive malè

de aliorum dictis, vel factis, absque sufficienti fundamento, judicando.

12. *Curiosas*, inquirendo quomodò illa possit cognoscere, vel intelligere, quæ capacitatem ejus excedunt, & neque statui, neque officio, neque professioni suæ conveniunt.

13. *Fraudulentas*, excogitando, quomodò aliquem in dictis, factísve decipere possit.

14. *Pusillanimes*, diffidendo, vel nimiùm timendo, se hoc adimplere non posse, quod justum & conveniens est.

15. *Dubiosas*, dubitando circa aliquem fidei articulum.

16. *Murmuratorias*, intra se, de se, vel aliqua re, aut personâ murmurando, seu lamentando.

17. *Scrupulosas*, nimis facilè dubitando eis de rebus, de quibus non est dubitandum. 18. *Ace-*

18. *Acedioſas*, quippiam cum tædio & nauſeâ penſitando.

Punctum II.

Circa Verba.

1 SI *Otioſa*, id eſt, inutilia, & ſibi & proximo ſuo, locutus fuerit verba?

2. *Inconſiderata*, & temeraria, id eſt, non ſecundùm quod tempus, locus, perſona, aut res, aut finis requirebat, prolata.

3. *Exaggerantia*, plùs minúsve, quàm res ipſa reverà erat, dicendo.

4. *Superba*, elata & arrogantia, ſuperbiendo & deſpiciendo alios.

5. *Aculeata*, & irreverentia, charitatem fraternam lædentia, & debitam reverentiam non adducentia.

6. *Iracunda*, cum ira, indignatione & furore prolata.

7. *Suſurratoria*, diſcordias ſeminantia.

8. *Detractoria*, de altero vel malum ejus edicendo, vel bonum ejus imminuendo.

9. *Injuriosa*, & contumelioſa, contra Deum & ſanctos ejus pronunciata; uti ſunt blaſphemiæ: vel contra cujuspiam honorem, ſeu adverſus aliquam perſonam dicta.

10. *Impudica*, & impura, contra honeſtatem &bonos mores prolata.

11. *Mendacia*, falſum, vel cum, vel absque juramento, cum proximi vel ſine illius damno, affirmando.

12. *Simulatoria*, fingendo quod non eſt.

13. *Adulatoria*, pro aliorum conciliando favore, & aucupandâ benevolentiâ, ad placendum aliis, dicta.

14. *Contentioſa*, pertinaciter cuipiam obſiſtendo, quò ſuum poſſit tueri judicium.

15. *Irri-*

15. *Irrisoria*, deridendo alterum.

16. *Amara*, cum cordis amaritudine, vel ex vindicta, seu ob aliquam malam passionem dicta.

17. *Jactabunda*, se ipsum ac res suas efferendo, seu laudando, vel in rebus malis gloriando.

18. *Ambigua*, quæ in uno sensu proferuntur ore, alio intelliguntur mente.

19. *Irrisoria*, risum provocantia.

20. *Affectata*, aliquo artificio & studio, pro aliqua facundiæ ostentatione, vel pro alicujus doctrinæ affectatiunculâ, dicta.

21. *Fraudulenta*, ad decipiendum aliquem prolata.

22. *Instigatoria*, prava consilia suggerentia, & ad malum instigantia.

23. *Execratoria*, maledicendo, vel sibi ipsi mala imprecando, vel alijs,

alijs, ex odio, vel rancore, vel indignatione.

Punctum III.

Circa Opera.

1 AN *Otiosa*, & inutilia operatus sit, quæ non ad aliquem bonum finem directa?

2. *Vana*, pro humano aucupando favore, quò aliquo possit in honore, & æstimatione haberi, facta.

3. *Inordinata*, id est, sine debito fine vel modo, & non suo tempore & loco, peracta.

4. *Inobedientia*, id est, contra Dei, & S. Matris Ecclesiæ, & contra suorum Superiorum ac Prælatorum, præceptiones, contra divini officii & suæ conscientiæ remorsum acta. Et si est Religiosus, contra suorum Superiorum Ordinationes & Regulam facta.

5. *Sacri-*

5. *Sacrilega*, recipiendo, vel ministrando cum peccato, seu dubio peccati, sancta Sacramenta: vel omisso violato voto, sive quâpiam commissâ simoniâ.

5. I*mmunda*, contra honestatem vitæ, ac bonorum morum puritatem admissa.

7. *Hypocritica*, ficta ac simulata, ostendendo se talem esse, qualis non est.

8. *Temeraria*, nempe facta ex proprio capite, sine consilio, & Superiorum suorum directione.

9. *Præsumptuosa*, suprà propriam suam habilitatem atque vires.

10. *Fraudulenta*, cum fraude & impostură suorum proximorum, & contra justitiam.

11. *Partialia*, non utendo cum omnibus, quando ratio exigit, debitâ æqualitate.

12. *In-*

12. *Indiſcreta*, id eſt, immoderata, & contra rationis dictamen acta; utpotè immoderatè ſtudendo, legendo, vigilando, orando, pœnitentias faciendo, aliquem indiſcretè corripiendo & caſtigando.

13. *Acedioſa*, id eſt, invitè & cum tædio nauſeáve facta.

14. *Quæſtuoſa*, id eſt, non pro Dei honore & gloria, ſed ob ſuam duntaxat utilitatem, oblectationem, honorem proprium commodum, ſeu ad evitandum oppoſitum, facta.

15. *Superflua*, id eſt, ob ſolam commoditatem, delitias & propriam ſenſualitatem facta: uti manducando, bibendo, dormiendo, veſtiendo, recreando, ornando, amplius quàm ſtatus ſuus requirit; aut citra juſtam neceſſitatem, ſuas expendendo vel conſumendo facultates.

16. De-

16. *Desidiosa*, id est, sine debitâ applicatione & mentis attentione, sine modo citra pium affectum, præcipuè res ad divinum cultum spectantes (uti sunt orationes, Missæ Sacrificium, divina officia, conscientiæ examen, confessio, sacra Communio, spiritualis libri lectio, verbum Dei, cultus sanctorum, & sacrarum Reliquiarum, Indulgentiæ, ac similia) negligenter exercitare & colere: speciatim verò & singulariter examinabit hæc sequentia.

Punctum IV.

Circa Divinum Officium.

1 AN Divinum Officium cum debitâ attentione, reverentiâ & devotione, decentíque situ ac loco, recitaverit?

2. An quid notabile, & cum culpa aliqua, omiserit?

3. An

3. An malè, & nimis festinanter verba pronunciaverit?

4. An ordinem inverterit; postponendo illud; quod erat antepoenendum, vel è contrà?

5. An unum pro alio Officium recitaverit?

6. An longo, vel etiam modico tempore, sine justa causa officium interruperit?

7. An sub divini officii recitatione voluntariè distractus fuerit, ridendo, jocando, seu aliquid, distractionem invehens, agendo?

8. An determinatis temporibus, cùm posset, horas non legerit?

9. An cantando in choro, non debitè attentus fuerit?

10. An huc, illúcque suis oculis curiosè vagatus fuerit, vel circumspexerit?

11. An

11. An recitando cum aliis officium ad aliorum verba non attentus fuerit?

12. An hoc, quod omissum intellexerat; vel malè pronunciatum, aut voluntariâ distractione dictum, maximè si aliqua notabilis omissa esset pars, non repetierit?

13. An ob lucrum solùm temporale, & non principaliter ad Dei gloriam, divinum officium persolverit?

14. An vel totum, vel aliquam divini officij partem, justâ vel injustâ ex causâ omiserit.

15. An vel divini officij omittendo partem, ábsque legitima causa debitam fructuũ sui beneficij partem aut pensionis, Ecclesiæ, vel locis sacris, jnxta Bullam Pij 5. non restituerit?

Punctum V.

Circa Missam.

1. NUm ábsque debitâ præparatione & conſcientiæ examinatione, vel cum dubio peccati, celebraverit?

2. An cum modicâ devotione, attentione & reverentia, & nimis celeriter, & malè, verba Canonis aut conſecrationis pronuntiaverit?

3. An voluntariè aliquid omiſerit, mutaverit, vel adjunxerit?

4. An tempore â S. Matre Eccleſiâ præfixo (quod ab aurorâ incipit, & durat úsque ad meridiem) celebraverit?

5. An Rubricas Miſſalis, quantùm ad modum ceremoniarum, & rituum, ordinatum ab Eccleſia obſervaverit?

6. An

6. An ábsque omnibus ſacris paramentis, vel ſine corporali, libro, lumine, miniſtro, ábsque conſecrato lapide, aut ſine debitis Altaris Mappis, celebraverit?

7. An in debita materia azymi panis, & veri vini, non corrupti, & in calice conveniente, infusâ aquâ, & in loco ſacro, conſecraverit?

8. An orationes, quæ Sacerdoti dicendæ, lavandis manibus, & ſacris ſe veſtiendo indumentis, uti in Miſſali adnotatæ, dixerit?

9. An Sacrificium Miſſæ non conforme temporibus occurrentibus, ſine juſta cauſa peregerit?

10. An Sacrificium pro illis applicaverit uel obtulerit vivis & defunctis, quibus erat obligatus?

11. An peracto ſacrificio, debitas Deo gratias egerit, vel nimiùm

festinanter & citra devotionem persolverit ?

12. An statim finito sacro, impertinentibus & profanis colloquijs, nugis, jocis, risibus, lusibus, & similibus rebus tanto sacrificio indignis, sese impenderit?

13. An scienter, absque legitimis Ordinibus, vel cum aliquo legitimæ censuræ impedimento cujus sibi conscius fuit, vel cum irregularitate, celebraverit.

Punctum VI.

Circa Sanctorum Sacramentorum Administrationem.

AN cum debitâ devotione, reverentiâ, & oculorum modestiâ augustissimum Altaris Sacramentum ministraverit?

2. An per negligẽtiam vel ob modicam advertentiam venerabile Sacramentum, seu aliquã ejus particu-

culam, ex manibus cadere permiſe-
rit? Et an in tali caſu, id quod Ru-
ricæ præcipiunt, fecerit?

3. An involuntariè? ſeu illiben-
ter, ob laboris, vel incommodi ti-
morem, miniſtraverit Sacramenta?

4. An Sacramentum Confeſſio-
nis, ſciens ſe ob ſcientiæ, probitatis
& legitimæ poteſtatis defectum, in-
doneum, adminiſtraverit?

5. Et an primùm ſe ipſum, &
pœnitentes Deo commendaverit?

6. An habuerit rectam intentio-
nem, ad Dei gloriam, & ſalutem a-
nimarum? vel an potiùs ad tem-
porale lucrum, vel perverſum a-
liud propoſitum reſpexerit?

7. An debitas interrogationes
cum prudentiâ, & modeſtiâ omi-
ſerit? vel an nimis ſuperfluus, in re-
busimpertinentibus interrogandis,
cũ periculo damni proprij, vel pœ-
nitẽtis fuerit?

8. An ſuâ culpâ paſſus tentationes ; & in illis ſtatim ad debita remedia recurrerit? animum ad Deum elevando, ejus auxilium implorando, mentémque ad piam aliquam cogitationem convertendo?

9. An in excipienda Confeſſione, erga pœnitentem fuerit impatiens, aſper, & nimis rigidus, præciſâ illi libertate, omnia ſua peccata cum fiduciâ confitendi?

10. An omiſerit procurare, ut ſuis obligationibus, ac ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat pœnitens: maximè in reſtituendâ famâ, & reddendis rebus injuſtè partis?

11. An pœnitentes, & ſibi commiſſos, de rebus ſuæ ſalutis, & remediis ad emendationem neceſſariis inſtruxerit?

12. An in caſibus difficilibus & dubiis, ad conſilium intelligentium,

& expertorum recurrerit? & an in talibus casibus absolverit, dubitando an absolvere posset, nécne?

13. An quempiam absolverit, dubitando, num ibi debita esset absolvendi materia: & an pœnitens requisitum dolo rem habuerit, emendationis propositum, satisfaciendi suæ conscientiæ,& obligationi voluntatem?

14. An nimis rigidam pœnitentiam, pœnitentis statui & emendationi improportionatam, imposuerit?

15. An extra confessionem, sine pœnitentis licentia, locutus fuerit, violando directè, sive indirectè, vel cum periculo violandi, sacramentale sigillum?

NB. Hîc advertant illi in hâc materia nimiùm garruli Sacerdotes, quid de hujusmodi farinæ Confessa-

riis *Joan. Henr. Manigart in Floribus ſelectis fol.* 202. *pronunciet? Intolerabile eſt*, inquit, *quoſdam ſui ita obliviſci, ut etiam in conviviis referant ea, quæ in Confeſſione audiverunt, aut modum, quo quidam confiteantur, & tales à pœnis ſacrilegii non videntur immunes.*

De ſimilibus etiam S. Antonius de Padua dicebat: *Illi enim veri ſunt Diaboli à Deo vivo & vero reprobati, qui confeſſionem, non dico verbo, quod pejus eſt omni Homicidio, ſed ſigno, vel alio quocúnque modo occulto, vel manifeſto irriſoriè, vel applauſoriè denudant, & manifeſtant. Audacter dico, quicunque confeſſionem diſcooperiunt, gravius peccant Iudâ Proditore, qui Dei Filium Ieſum Chriſtum tradidit. &c.* Et in fine tituli ſic ait: *Audiant ergò infelices iſti ſuæ mortis ſententiam: Omnis, inquit Dominus, qui tetigerit*

rit montem (Confessionem intellige) morte morietur. Et quâ morte ? manus sæcularis potestatis non tanget eum, ut suspendatur tanquam latro & homicida, sed lapidibus, id est, duris excommunicationibus opprimatur, aut æternæ damnationis jaculis confodiatur, sive jumentum, id est, simplex Sacerdos : sive homo, id est litteratus Sacerdos & scientiâ plenus fuerit, omninò non vivet, quia montem ascendit, & fines ejus tetigit. Hoc S. Antonius de Padua ; quod *Everhardus Engels: cum suo originali collationavit. In libello*, **Geistliches Kunst-Kämmerlein.** *in titulato. fol.* 27.

Punctum VII.

Circa Curam animarum.

I AN, cùm animarum haberet curam, eam zelaverit ? déque illarum salute solicitus fuerit ?

2. An ſuis temporibus ſancta illis Sacramenta miniſtraverit?

3. An laboraverit intelligere, & tollere publica ſcandala & abuſus, & eos eruere è peccatis, quos illis nôrat obnoxios?

4. An doctrinâ Chriſtianâ illos erudierit? resq; ad ſalutem neceſſarias docuerit.

5. An debitis temporibus anuntiaverit verbum Dei, malam prævámque illorum corripiendo vitam, illos hortando ad virtutes, Deíque eis inçulcando timorem?

6. An inter diſcordantes pacem compoſuerit?

7. An feſtivis diebus populo celebrare Miſſam omiſetit?

8. An divini officii, & Miſſæ obligationibus, tam pro vivis quàm defunctis, ſatisfecerit?

9. An illos, qui non cónfitentur, neque

neque communicant, saltem semel in anno in sua Parochia, observaverit?

10. An aliquem per suam negligentiam, sine Sacramentis & animæ commendatione mori permiserit?

11. An pro morientium consolatione & auxilio morituris astiterit, cùm posset?

12. An malis suis actionibus, pravis moribus, suis subditis malũ exemplum dederit?

13. An sciat quantùm ad sui officii & muneris attinet obligationem?

14. An ordinationes suorum Superiorum, & Prælatorum, nec non Ecclesiæ statuta, circa animarum curam, observaverit?

Pun-

Punctum VIII.

Circa Curam Ecclesiæ, & rerum sacrarum.

1 AN habuerit curam Ecclesiæ & Sacristiæ? fuerintque satis munda, & purgata sacra vasa, corporalia, purificatoria, & Mappæ, ac vestimenta reliqua sacra? *Sacerdos enim, inquit Gavantus, adhibens Corporalia notabiliter immunda graviter peccat, quia facit contra reverentiam tanto Sacramento debitam, in re quæ proximè attingit Corpus Christi.* Item, *Lethale peccatum admitti docet Silv. verbo Missa, si enormiter quis cum immundis celebret paramentis. apud Gav. part. 2. Gobat Tra. 3. n. 381. fol. 199.*

2. An Missæ, & Altarium paramenta reliquerit fracta, fœda, & malè composita, &c.

3. An

3. An tenuerit Ecclesiam, & sacra Altaria in debito nitore, absque pulveribus, & telis aranearum, &c. ánque præcipuè Altarium Mappæ mundæ fuerint?

4. An decenter conservaverit in Altari augustissimum Altaris Sacramentum? illúdque renovaverit suis temporibus, cum ardente semper ante illud lampade?

5. An permiserit deesse aquam lustralem seu benedictam in vasis Ecclesiæ?

6. An providerit necessaria Ecclesiæ, & Sacristiæ, quantùm ad suam pertinet obligationem?

7. An renovaverit singulis annis sacrum Chrisma?

8. An debitam sacrarum Reliquiarum curam habuerit?

9. An decentem Ecclesiæ appa-

ratum

ratum diebus festivis & solennibus habuerit?

Punctum IX.

Circa votum Castitatis maximè attendendum.

AN peccaverit delectationibus morosis, desideriis, tactibus, actibus, osculis, lectione, locutione &c. Reliqua ad hoc punctū spectantia dictabit ex synderisis conscientiæ.

Punctum X.

Circa omissiones.

1 AN præter jam dicta, in supradictis capitibus, aliquid facere omiserit, ex obligatione, erga Deum, erga, seipsum, vel circa proximum: Maximè verò, circa suos cognatos & benefactores, vivos & defunctos, & erga suam Religionem, si Religiosus sit?

2. Par,

2. Particulatim verò, si per negligentiam consuetas orationes, devotiones, sacrum, divina officia, confessionem, examen conscientiæ, solitas pœnitentias & mortificationes, verbum Dei, Spirituales lectiones & proximorum correctiones prætermiserit? An spiritualibus & temporalibus illorum necessitatibus subvenerit, ac juxta suas vires opera misericordiæ exercuerit?

3. Postremo, Deum omnium suorum peccatorum deprecabitur veniam, firmiter imposterum proponendo emendationem: ac deinde accessurus ad confessionem sequentes dicet orationes.

Ante Sacram Confessionem

Oratio I.

Ex precibus Gertrudianis. &c.

O Inscrutabilis abyssus, pietatis, Domine Deus meus, pecca-

vi ſuper numerum arenæ maris, & non ſum dignus intueri altitudinem cœli. O me fœtidam peccatorum ſentinam! O me ſordidum cadaver putredinis! Multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Regnat in me ſuperbia, vana gloria, luxuria, avaritia, invidia, gula acedia, & omne malum. Quid faciam? miſer, quo fugiam à facie iræ Dei! Heu Domine Deus meus quanta ſunt Vulnera mea, quanta infirmitas animæ meæ! cui conquerar, ô Domine, omnia mala mea adverſùm me, niſi tibi ſalvatori & Redemptori animæ meæ? Ieſu Fili Dei vivi miſerere mei, quia nihil tibi eſt impoſſibile quàm non poſſe miſeris miſereri. Redde mihi, dulcis Ieſu gratiam tuam, & recipe me in amicitiam tuam. Non ſecundùm merita mea, ſed ſecun-

dùm

dúm bonitatem tuam respice in me. Doleo vehementer de peccatis meis quibus te benignissimum Deum meum offendi. Et quia dolor meus nimis exiguus est: hinc opto & desidero, (justâ tamen intentione) quòd omnem dolorem & odium erga peccata, quæ in omnium damnatorum cordibus inveniuntur; cordi meo includere, atque supremo odio peccata aversari possem. O Domine Deus meus, odi, aversor, execror & abominor omnia peccata mea, tali affectu & voluntate, quâ tu ipse ea execraris & abominaris, & utinam dolor meus tantus esset, quantum tu esse desideras. In cujus dignam suppletionẽ offero tibi illam contritionem, tristitiam & aversionem à peccatis, quam Filius tuus in monte Oliveti de omnibus mundi peccatis in se

ſenſit & ſuſtinuit, dum præ vehementia doloris & anguſtiæ ſudor ſanguineus de corpore ejus emanaret, & omnia viſcera ejus commoverentur: Rogans ut illam contritionem in ſuppletionem meæ, quam non habeo, acceptare, méque à peccatis meis abſolvere digneris. Amen.

Oratio II.

BEnigniſſime Deus, ego indignisſima creatura tua, ex merâ malitiâ & perverſitate divinam bonitatem tuam tam multipliciter offendi, quod juſtè me abominari, & tanquam capitalem hoſtem tuum perſequi deberes. Chriſte Jeſu, fateor quod inique egerim, & malum nimis coram te fecerim: Attamen tam vehementer ſuper hoc doleo, quod malim quodvis malum ſubire, quàm deinceps vel unico mortali pec-

peccato te offendere. Non doleo propter graves nimiàsque pœnas, quas commerui; sed solummodò, quia te tam dulcem, tam amabilem, tam benignum & fidelem Dominum, qui mihi nunquam nec minimum malum feciſti, ſed omnibus bonis ditaſti, tam graviter tàmque injuſtè offenderim. Ignoſce mihi, miſericordiſſime Jeſu, propter amorẽ illum quo Patrem pro perſecutoribus tuis rogaſti; quia paratus ſum omnem injuriam, quam tibi peccando irrogavi, quantum poſſibile eſt, reciproco obſequio recompenſare. Non peto pœnas promeritas mihi condonari; ſed paratiſſimus ſum eaſdem à paterna manu tua, quando? quomodo? & ubi tibi placuerit, & decor juſtitiæ tuæ exegerit, acceptare. Imò ſi mihi easdem remittere & condonare velles,

nollem id acceptare, ſed obnixè te rogarem, quod de te me vindices; quoniam mihi impoſſibile eſſet videre, quòd pro tot & tantis tibi irrogatis injuriis nullo honore reciproco affici deberes. Cum ſummâ igitur humilitate & reſignatione me tibi ſubijcio juſtùmque tuum ſuper me judicium ambobus brachijs amplector, paratus acceptare quæcúnque mihi adversa in tempore & æternitate immiſeris. Amen.

Oratio III.

O Amabiliſſime Ieſu, Amor meus pro me crucifixe: amo te ſuper omnia toto corde ob infinitam bonitatem, omnésque divinas perfectiones tuas; &, ſi poſſem, omnium Angelorum & ſanctorum amore te amarem, nam omni poſſibili amore es dignissimus. Et quia te ſic amo pœnitet me & toto men-

tis

tis affectu doleo, quòd ego viliſſima creatura tua, contra te optimum Deum meum, cui omne peccatum ſumme displicet, unquàm peccaverim. O ſi te nunquàm offendiſſem! ô non egiſſem id, quod ſanctiſſimæ voluntati tuæ, & amori ſic eſt contrarium. Revoco, retracto, deteſtor, & quantùm poſſum, annihilo, quidquid feci cogitatone, verbo, opere, & omiſſione contra te, cupióque ac deſidero totâ animâ meâ me id non feciſſe. Heu! pœnitet me iterũ ac iterũ & milles, pœnitebitque totâ vitâ meâ. Et quamvis nulla pœna, nullus infernus, aut nullũ cœlũ eſſet, tua tamẽ amabiliſſima Bonitas, à me, heu mihi! ſufficit offenſa, ut mihi cor dolore diſrumpatur, & oculi flumina ac maria lacrymarum profundant. Propono firmiſſime cum gratiâ tuâ ſanctiſſi-

ctiſſimæ legi tuæ poſthàc in omnibus obedire; peccatum quodvis ſuper omne aliud malum vitare; integrè confiteri; pœnitentiam injunctam explere; proximo meo, ſi quid debeo, ſatisfacere; offendendi te occaſiones, quantùm poſſum, fugere. Condono omnibus omnes injurias & offenſas mihi factas, ſicut meas à te mihi peto condonari. Offero tibi vitam, & actiones meas bonas cum gratiâ tuâ à me faciendas, & omnes afflictiones, quas juſtè peccatis meis mereor, à me ſuſtinendas, in aliquam compenſarionem tot offenſarum & injurjarum à me tibi illatarum. Inſuper offero tibi intentiſſimos compunctionis, contritionis & deteſtatiõis affectus, quos unquam verè pœnitentes, & ſua, vel aliena peccata deflentes elicuerunt, & deinceps elicient; quòs om-

omnes si ego solus possem, Et si tibi placeret, eos mihi dare, & alios omnes possibiles elicere desidero. Offero, inquam, hæc omnia in unione lacrymarum tuarum, quibus ô amantissime Iesu, nostra delicta defleviſti: laborum item & cruciatuum, quibus eadem expiasti, & omnium meritorum tuorum, per quæ spero veniam peccatorum, & uberem gratiam à misericordissimis visceribus tuis, ut me emendem, & piam ac bonam vitam instituam. Amen.

Oratio IV.

DUlcissime Iesu, qui ex amore salutis humanæ sacramentum confessionis ad consolationem omnium peccatorum instituisti; ut ejus virtute ab iniquitatibus nostris emundari, amissamque gratiam tuam recuperare valeamus. Ecce ego miserrimus peccator, qui denuò

multipliciter deliqui, animámque meam omnimodis ſordibus inquinavi, revertor ad te, átque cum firmiſſimâ ſpe & fiduciâ remiſſionis peccatorum meorum hoc tam nobile Sacramentum recipiam, nec non & de omnibus & ſingulis peccatis, quantùm quidem memoriæ meæ occurrere poterunt cum ſummâ humilitate animíque contritione coram ſacerdote tuo vices tuas gerente me accuſabo: nec ullum peccatum mortale quantumcúnque fœdum & turpe ſcienter reticebo. Illa verò quæ memoriam meam ſubterfugerunt ſicut & omnia venialia peccata mea huic ſacræ confeſſioni incluſa velim, eáque tibi tanquam Pontifici omnium maximo confiteor: átque coram totâ cœleſti curiâ me perfidum, & crimine læſæ Majeſtatis tuæ reum procla-

clamo. Rogo ergò te, Pater clementissime, digneris eodem miserationis oculo, quo Filium tuum in monte Oliveti in faciem suam prostratum, totóque corde de omnibus hominum peccatis contritum respexisti, me miserum intueri, totóque cordis affectu veniam petentem exaudire. In suppletionem contritionis meæ, quam, ut par est, non habeo, offero tibi vehementem illum dolorem, quem unigenitus tuus toto tempore mortalitatis suæ super omnibus mundi peccatis in corde suo dulcissimo semper persensit, maximè cùm in monte Olivarum præ ejusdem vehementiâ sanguinem sudaret: rogans, ut in balneo ejusdem sacratissimi cruoris animam meam ab omnibus inquinamentis suis abluas, átque niveâ puritate tuâ condecores. Amen.

Oratio V.

Ex Delicijs Eucharisticis.

O Amabiliſſime Deus, non tam inferni horrore, nec cæli amittendi metu; ſed tui amore intimè doleo, quòd peccatis meis offenderim tuam infinitè amabilem Majeſtatem. Pœnitet me ſemper, quòd cum graviſſimo tui contemptu peccatorum meorum infernale toxicum amârim! Ignoſce clemeutiſſime Ieſu, per vulnera tua te rogo; rogo per ſanguinem tuum, eúmque pro delictis meis offero. Execror omnia, & plusquàm infernum deteſtor ſingula mea peccata. Nunquam tuâ iuvante gratiâ nunquàm, velut canis ad vomitum reverſus, peccatorum mephitim amplectar. Nunquam è verme factus Angelus redibo ad cadaver.

Ora-

Oratio VI.

Pro venia peccatorum consequenda.

SAncte & inter sanctos post Deipară singulariter sancte Ioseph, quem constituit Dominus super familiam suam, qui paternâ auctoritate Dei Filio Nomen, quod est super omne nomen imponere, Iesum vocare, simúlque intimare debuisti, quòd salvum facturus sit ille juxta nomen suum populum à peccatis eorum. Nunc salutem ab eo, quem salvatorem prædicâsti per te, quæso, obtineam. Te interpello ad te confugio, tibi se conatur præsentare anima mea, morbis vitiorum languida, ulceribus flagitiorũ putrida, tibi inquam nititur, quantum moribunda valet supplicare, ut potentibus tuis meritis, & pijs tuis precibus eam digneris sanare. O tu inter viros bene-

ne-

nedicte, qui angelos æquas in puritate, & ſanctos ſuperas pietate, anhelat ad te moribundus ſpiritus meus. O tu pie ille, potens & potenter pie Ioſeph, qui multa potes apud miſericordiſſimum Ieſum, dic illi, ut me adjuvet: Dic illi, ut me juxta nomen ſuum à peccatis liberet. Quid enim eſt Ieſus, niſi ſalvator? ergò propter ſemetipſum ſit mihi ille ſolvator Ieſus. ſi ego admiſi undè damnare poteſt, ille non amiſit, unde ſalvare ſolet. Scio, ô ſanctiſſime Patriarcha Ioſeph, quod non negabit tibi petenti ſalutem animæ meæ, qui venit perditum ſponte ſalvare, & à te iã rogatus, qui ei Miſericordiam in terris Viventi pluries exhibuiſti, & vitam ejus ex Herodi manibus eripuiſti, nõ ſalvaret? Euge euge Serve bone & fidelis, intra Sacrarium exauditionis. Expande manus tuas, Expan-

pande obsecro illas ante Altare illud aureum humanæ reconciliatíonis, & erit per te impetrabile, quod ingerimus. excusabile quod timemus, nec diu poterit, te sustinere pro me misero supplicantem, quem te expertus est fidelissimè sibi servientem. Amen.

Orationes

Post Confessionem dicendæ.

SIt tibi, Domine, obsecro, meritis Sanctissimæ Matris tuæ semper Virginis Mariæ, & omnium sanctorum, grata & accepta ista confessio mea: & quidquid mihi defuit nunc, & aliàs de sufficientia contritionis, de puritate, integritate cõfessionis: suppleat pietas & misericordia tua, & secundùm illam digneris me habere plenius & perfectiùs absolutum in Cœlo. Qui vivis & reg-

regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Congratulamini mihi nunc omnes Angelorum chori, qui gaudetis unanimi gaudio ſuper uno peccatore pœnitentiam agente; Pœnitentiam agam, & amplius non peccabo: Aſſiſtite mihi, concivem efficite me; aſcendat in conſpectu veſtro propoſitum emendationis, & deſcendat auxilium divinum ſuper me, & maneat ſuper me ſemper. Amen.

2. Et quoniam, ô mitiſſime Deus, multiplicibus peccatis & negligentijs meis maximam tibi irrogavi injuriam: ideò etiam paratus ſum divinæ juſtitiæ tuæ perfectam ſatisfactionem, ſecundùm quod vires meæ ſe extendunt, rependere. Igitur pœnitentiam illam à confeſſario, nomine tuo, mihi impoſitam fideliter ſummáque cum devotione perſolvam. Et utinam tali devotione & amo-

amore eandem persolvere possem, ut majus tibi beneplacitum & oblectationem causarem, quàm tibi per peccata mea injuriæ & contumeliæ irrogavi. Quod, ut perficere valeam, jdeo unio & immergo hanc meam pœnitentiam in omnia opera satisfactoria, quæ dilectus Filius tuus triginta tribus annis, jejunijs, vigilijs, & orationibus perfecit, & in unione omnium illorum offero tibi hanc orationem & pœnitentiam meam. Respice igitur amantissime Pater super me obligatissimum debitorem tuum sacris pedibus tuis advolutum irrogatásque tibi injurias reciproco amoris obsequio rependere satagentem: tantámque mihi concede virtutem & gratiam, ut juxta tuum sanctum beneplacitum hanc orationem perficiam. Amen.

3. *Hic ora pœnitentiam tibi injunctam, eamque ſequenti oratione conclude.*

SAnctiſſime Pater, in unione omnium pœnitentiarum, quæ unquam pro gloria nominis tui adimpletæ ſunt, offero tibi hanc meam confeſſionem & ſatisfactionem? rogans, ut eandem per merita Paſſionis dilecti Filij tui, pérque interceſſionem B. Mariæ Virginis, & omnium SS. Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, átque Virginum, ratam, mihiq; ſalutarẽ habere & efficere digneris. Et quidquid mihi defuit de ſincera præparatione, perfecta contritione, fideli & dilucida confeſſione, id omne commendo dulciſſimo cordi Vnigeniti tui, bonorum omnium gazophylacio, ex cujus abundantia omne debitum tibi plenè ſuppletur: ut per idipſum

om-

omnes defectus & negligentiæ meæ in susceptione hujus Sacramenti commissæ plenè & perfectè ad æternam laudem tuam suppleantur: méque tam efficaciter absolvere velis in cælis, sicut minister tuus tuâ authoritate me absolvit in terris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum &c.

Volatus Animæ ad escam spiritualem Procurante Patriarchâ Joseph Mensam Cælestem sacrosanctæ Communionis Ex Libello: Aquila grandis, *dicto. Item ex alio*, Dies S. Josepho Virgineo Deiparæ Sponso sacer, *intitulato*; *Et vel maximè ex Hebdomada S. Josepho agonizantium Patrono sacrâ*; *ut sequitur.*

T CUL-

CULTUS S. JOSEPHI

Ante & post

COMMUNIONEM

1 SAncte Joseph, præpara me hospiti meo charo, & gratias age pro me illi Jesu, cui nascituro hospitium, & præsepium præparasti.

2. S. Joseph, præpara me, & gratias age pro me illi Jesu, quem natum cum Maria, & Angelis adorasti.

3. S. Joseph, præpara me, & gratias age pro me illi Jesu, quem à Pastoribus, ac Magis adorari vidisti.

4. S. Joseph, præpara me, & gratias age pro me illi Jesu, quem in Ægyptum portâsti.

5. S. Joseph, præpara me, & gratias age pro me illi Jesu, quocum

in Ægypto vixiſti, & quem indè in Nazareth deportâſti.

6. S. Joſeph, præpara me, & gratias age pro me illi Jeſu, quem dolens amiſiſti, quæſiviſti, & lætus in Templo inveniſti.

7. S. Joſeph, præpara me, & gratias age pro me illi Jeſu, quem ſubditum habuiſti; coram quo feliciſſimè expirâſti. Ora, ut anima mea, ſit illi ſubdita in omnibus, quæ mihi in præceptis, & ſuperioribus imperat. Et hæc à te peto, per omnes dolores tuos, quibus afflictus fuiſti in terris: & per omnia gaudia, tam illa, quæ habuiſti in terris, quàm quæ habes, & habebis æternùm in cælis.

Audi me, dulciſſime Joſeph, & per illa tria privilegia, quibus à Deo effectus es Beatiſſimæ Virginis ſponſus, & ſuaviſſimi Jeſu Pater Putati-

tius, & Secretarius Arcanorum myſteriorum conſcius; impetra mihi N. & donum humilitatis, honeſtatis, patientiæ, & remiſſionem peccatorum.

Ave ſanctiſſime Joſeph, Pater putatitie Domini Jeſu, per omnes dolores, & gaudia tua, memento mei, & eſto mihi adjutor cum Sponſa tua Maria ſanctiſſima, nunc & in hora mortis meæ Amen.

1. S. Joſeph, per eum, quem accipio Ieſum te rogo, impetra mihi, ut ſim fidelis Cuſtos puritatis meæ; ut nullum dolorem, aut lætitiam admittam, quæ illi adverſetur; ut occaſiones omnes, quæ vel à longè illi adverſæ eſſe poſſunt, caveam, etiamſi videantur bonæ, ac ſanctæ; ſicut tibi, Mariæ Sponſæ Conjugium admirandum, primò dolori, de puritate tuâ nulli periculo ex-

po-

ponendâ ſolicito, deindè veró lætitiæ fuit, quando illam voto Virginitatis Deo devotam intellexiſti O Ieſu! panis & vinum Virginum, da mihi Cuſtodem te ipſum, & Matrem tuam ac S. Ioſephum.

2. S. Joſeph, cui, dolori primùm, deindè gaudio fuit Maria prægnans ubi ab Angelo intellexiſti illam Deum utero gerere, & tunc deſijſti cogitare de illa dimittenda: accipe me quæſo, protege me: nè me dimitte de manu tua. Eundem ego Jeſum in Sacramento accipio, quem tunc illa concepit. Per illum, & per illam, te rogo, ne me deſeras nunc, in tentationibus, & in hora mortis meæ.

3. S. Joſeph, doloris plene, quòd Maria hunc, quem ego accipio, Ieſum pariens, debuerit in præſepio duro, paupere, frigido collocare: gaudij plenè, dum illum natum vi-

disti ab Angelis canentibus adorari honorari. Hic est idem ille Iesus in corde meo velut in paupere, frigidóque hospitio. Adduc Angelos, & Mariam, à quibus foveatur, honoretur, adoretur, mea enim anima est pauper, & frigida ad suscipiendam, & honorandam tantam Dei-hominis Majestatem.

4. S. Ioseph, cui fuga in Ægyptum dolori fuit, sed rursus gaudebas, quòd cum Iesu, & Maria viveres, licèt exul: ecce me in hoc exilio, & quamdiu? quando erit, cùm videbo desideratissimum Deum meum? quando cessabit illum in me persequi mundus iste, ac ejus Satellites? Ecce ego cum eodem Iesu sum, quocum tu fuisti. Ora illum, ut me in hoc exilio sibi servet, ac brevi deducat in Patriam immortalitatis.

5. S. Ioseph, dolore novo afflicte,

ête, quòd ex Ægypto redux adhuc timeres Herodis filium : gaudio verò, quòd in Nazareth cum Ieſu & Mariá ſuaviſſimè habitares. Doce me dolores omnes deponere ad pedes hujus mei, quem accipio, Ieſu, & illos commutare in gaudium, conſentientis cum divinâ voluntate, voluntatis meæ.

6. S. Ioſeph, amiſſus Ieſus tibi dolori, inventus in templo fuit gaudio. Ecce ego illum in templo in SS. Euchariſtia reperio. Doce me gaudere, ſed non niſi de illo, in illo, propter illum.

7. S. Ioſeph, cui morte à Ieſu & Maria ſeparari, fuit cauſa doloris; at inter Ieſum & Mariam emori fuit cauſa ſummi Solatij; doce me ita ad Euchariſtiacum Ieſum quot hebdomadis, & ſæpius accedere, ut tunc optimè diſponam cum Ieſu, &

Maria de itineribus æternitatis meæ; componam rationes meas, pro judicio ejusdem Iudcis quem hìc accipio: diſcam expendere pœnas Inferni æternas, æternas delicias Paradiſi, & diſcam fovere calorem Spiritûs mei, nè intepeſcat O Ieſu! ignis vive exure, & repone cor meum in ſinu Mariæ ac Ioſephi, ut illud, illi, tibi venienti præparent, & illi, te in illo hoſpitem, pro dignitate tractent.

S. Ioſeph, rogo te per ſeptem tua gaudia, & dolores, impetra mihi,

1. Erga Ieſum in Euchariſtia: nunc & pro viatico ſanctam præparationem.

2. Erga Mariam tenerum, ſolidum, exquiſitúmque amorem.

3. Mortem, inter excelſos divini amoris actus pretioſam.

4. San-

4. Sanctam Dei, & Angeli Custodis mihi ubique præsentis, memoriam.

5. Conscientiam citra scrupulos teneram.

6. Studium id agendi, quod Deo magis placet, contra torrentem omnium respectuum humanorum.

7. Vt assuescam corde nunquam surdo vel muto, & divinis inspirationibus obedire, & cum Deo meo loqui.

1. Impetra capiti meo cogitationes cœlestes,

2. Oculis meis castam modestiã, & pia legendi Studium.

3. Ori, & linguæ silentium, ac de divinis loquendi peritiam.

4. Auribus, pium divina libenter, & utiliter audiendi desiderium.

5. Manibus, & pedibus, promptum ad divina obsequium.

6. Cordi amorem Dei, amoris ejus imitatorem, quo tu, & Maria arsistis.

7. Corpori & animæ meæ, mutuam, ad quærenda æternitatis lucra, concordiam, & vitam æternam, in qua tecũ videam, & amem, hunc Iesum, & Mariam, Amen.

Oratio.

Post Communionem.

O S. Iosephe Sponse Dei Genitricis, Pater Iesu Christi dilecti mei, qui pascitur inter lilia, Septus choreis Virginum? iste me peccatorem indignum, in eodem loco pascuæ suæ collocavit. Panem Vivum, qui de cælo descendit, manducavi, cælestis Agni Nuptias celebravi; agnosco gratiam, & Sponsi miror humilitatem. Quapropter ad te confugio qui satis expertus es, ab infantia Filioli tui, humanitatem, ejus gustum, & beneplacitum illius:

illius: modum itáque præscribe mihi; conversationem, quæ in cælis est, doce me; ut faciam voluntatem illius, cujus delitiæ sunt, esse cum filijs hominum; qui cunas elegit, miserias hominum, & paupertatem: Proindè S. Pater, in te confidentem instrue, Fili David instrue me! vir juste doce me quærere justitiam ad servitia tam suavia, tunc enim eructabunt labia mea hymnum, quem Infanti, VirginiMatri, tibíque quasi famulus, cantabo, cùm docueris me justificationes tuas. Audi canentem: *Hîc amoris flammas meditantem affectum in voces solve, & canta*: Joseph nobis dulce Nomen &c. fol. 163.

(o)

FASCICVLVS VIII.

In quo

Orationes, sive piæ preces ante & post SS. Missæ Sacrificium devotè dicendæ.

Quibus præmittitur devota præparatio, sive praxis, quæ affectibus, quos ipsæ Orationes in Missali præscriptæ suggerunt excitandis affectuosè insistit; sicut enim celebrans Christum in ipso Sacrificio offerendo repræsentat, ita optimè, quoque facturus creditur, si in modo quoque offerendi illum imitari conetur. Itáque

I.

SIcut ille priùs valedixit S. Matri suæ, & aliis amicis, ita & Sacerdos antè, quàm ad altare accedat, valedicat

dicat omnibus negotiis & amicis ſuis, omnem de iis cogitationem & ſollicitudinem , præterquam ſub *Memento* deponens.

II. Sicut Chriſtus priùs judicatus & accuſatus eſt, ita & celebrans ſe-ipſum tum per confeſſionem ſuo tempore præmiſſam , tum per eam, quæ in ingreſſu poſt Pſalmum *Iudica* peragitur, coram Deo accuſet , & illius judicio ſubmittat.

III. Sicut Chriſtus tribus clavis cruci affixus fuit , ita celebrans altari per tres potentias , *memoriam* videlicet , *intellectum* & *voluntatem* ita ſe affigere ſtudeat, ut nullâ aliâ in re , quàm in iis , quæ ad Sacrificium hoc ritè offerendum pertinent , occupetur.

IV. Sicut Chriſtus in Cruce memor fuit quadruplicis generis perſonarum , ſcilicet inimicorum, peccatorum

torum in latrone; amicorum in ſua matre, & S. Ioanne; & ſuiipſius: ac pro his omnibus nonſolùm oravit, ſed incredibili zelo (quem verbo *Sitio* indicavit) ſalutem eorum Patri æterno commendavit, ita celebrans quoque cogitet hunc zelum ſibi imitandum, & pro dictis perſonis ſub *Memento* ardenter & affectuosè orandum eſſe.

V. Sicut Chriſtus irriſiones aſtantium & tranſeuntium non curavit, neque propter eos de cruce, ut ipſi irriſoriè petebant, deſcendit, ita & celebrans, licet ij, qui Miſſam audiunt, moræ impatientes, queruntur, opténtque ipſum ab altari recedere, Miſſam abbreviare, & niſi faciat, calumientur, & iraſcantur, conſtanter in altari perſeveret, & agat, quod agit, ſalvâ tamen ſemper diſcretione & publicâ ædificatione.

6. Si-

6. Sicut Christus omnia, quæ de sacrificio suo in cruce offerendo in scriptura sacra prædicta erant plenissimè consummavit; ita & celebrans omnes Rubricas & cæremonias, quæ pro sacrificio Missæ præscribuntur, exactè observare studeat, ut, & ipse finito sacro dicere possit: *Consummatum est.*

7. Sicut Christus post Spiritum suum in manus Patris commendatum in Limbum & Purgatorium descendit, & ex utróque Animas, ibi detentas liberavit; ita sacerdos quóque post Consecrationem sub *Memento* pro defunctis ad Animas purgantes mente descendat, &, quotquot potest, per applicatiõnẽ sacrificij inde extrahere studeat.

Atque hic Modus, vel ex eo capite videtur solidior & præferendus, quòd nec multâ reflexione indigeat,

nec

nec aliam ferè induſtriam, quàm quæ ab ipſa Sacrificij excellentia jure exigitur, requirat, aliunde verò propter conformitatem cum modo à Chriſto in cruce adhibito, meritò & ipſi, & Patri æterno gratior futurus credetur. *Tobias Lohner parte* II. *De Ritibus in ipſa miſſa obſervandis.*

Orationes

Ante & poſt Miſſam dicendæ, & ad libitum Celebrantis per hebdomadam diſtribuendæ, ita, ut quâlibet die una ex Sequentibus poſſit recitari.

DIE DOMINICA

Oratio Ante Miſſam Ex Thoma de Kempis,

DOmine Ieſu Chriſte in Simplicitate cordis mei offero me ipſum tibi hodiè in ſervum ſempi-

ter-

ternum, in obsequium & Sacrificium laudis perpetuæ. Suscipe me cum sancta oblatione tui pretiosi corporis & sanguinis, quam tibi hodiè in præsentia Angelorum invisibiliter assistentium offero; ut sit pro me, & pro cuncto populo tuo in salutem. Domine, offero tibi omnia peccata & delicta mea, quæ commisi coram te & sanctis Angelis tuis, à die, quo primùm peccare potui, usque ad diem hanc, super placabili Altari tuo; ut tu omnia pariter incendas & comburas igne charitatis tuæ & deleas universas maculas peccatorum meorum, & conscientiam meam ab omni delicto emundes, & restituas mihi gratiam tuam, quam peccando amisi: omnia mihi plenè indulgendo, & in osculũ pacis me misericorditer assumendo. Quid possum agere pro

peccatis meis, nisi humiliter ea confitendo, & plorando, & tuam propitiationem incessanter deprecando? deprecor te, exaudi me propitius, Deus meus: Omnia peccata mea mihi maximè displicent: nolo ea unquam ampliùs perpetrare: sed pro eis doleo, & dolebo, quamdiù vixero, paratus pœnitentiam agere, & pro eis pro meo posse satisfacere; Dimitte mihi, Deus, dimitte mihi peccata mea: propter nomen sanctum tuum, Salva animam meam, quam pretioso sanguine tuo redemisti. Ecce committo me misericordiæ tuæ: resigno me in manibus tuis. Age mecum secundum bonitatem tuam, non secundúm malitiam & iniquitatẽ meã. Offero etiam tibi omnia bona mea, quamvis valdè pauca & imperfecta; ut tu ea emendes, átque sanctifices, & ea grata ha-

ta habeas, & accepta tibi facias: & semper ad meliora trahas, nec non ad beatum & laudabilem finem me pigrum & inutilem homuncionem perducas. Offero quóque tibi omnia pia desideria devotorum, necessitates parentum, fratrum, propinquorum, amicorum, omniúmq; charorum meorum, & eorum qui mihi, vel aliis propter amorem tuum benefecerunt, &, qui orationes & Missas pro se, suísque omnibus dici à me desideraverunt, & petierunt, sive in carne adhuc vivant, sive jam sæculo defuncti sint: ut omnes sibi auxilium gratiæ tuæ, opem consolationis, protectionem à periculis, liberationem â pœnis advenire sentiant, & ut ab omnibus malis erepti, gratias tibi magnificas læti persolvant. Offero etiam tibi preces, & hostias placationis pro illis

ſpecialiter, qui me in aliquo læſerunt, contriſtaverunt, aut vituperaverunt, vel aliquod damnum & gravamen intulerunt. Pro his quóque omnibus, quos aliquando contriſtavi, conturbari, gravavi, & ſcandalizavi verbis, factis, ſcienter vel ignoranter; ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata noſtra, & mutuas offenſiones. Aufer, Domine, à cordibus noſtris omnem ſuſpicionem, indignationem, iram & diſſenſionem, & quidquid poteſt charitatem lædere, & fraternam dilectionem minuere. Miſerere, Domine Jeſu Chriſte, miſericordiam tuam poſcentibus: da gratiam indigentibus, & fac nos tales exiſtere, ut ſimus digni gratiâ tuâ perfrui, & ad vitam proficiamus æternam. Amen.

Poſt

Post Missam.

Gratiarum actio. Ex precibus Gertrudianis.

COr meum & anima mea, cum totâ, substantia carnis meæ, omnibúsque sensibus, & viribus corporis & Spiritûs mei, cum universitate totius creaturæ laudes, & gratiarum actiones dicant tibi, dulcissime Iesu, fidelissime amator humanæ salutis, pro dignantissima misericordia tua, quam mihi servorum tuorum indignissimo in sacratissimo corporis, & sanguinis tui convivio exhibuisti.

O Dulcissime Deus! licet omnia & singula momenta vitæ meæ non nisi continuæ gratiarum actiones essent, non tamen responderem tibi unum pro mille. Ideo insufficientiam meam agnoscens offero tibi ò

BB. Trinitas omnes illas laudes & gratiarum actiones, quas ſacratiſſima humanitas Domini noſtri Ieſu Chriſti toto tempore vitæ ſuæ, maximè cùm hoc Sacramentum inſtituit, tibi perſolvit. Suſcipe, ô pie Pater, & illas, tibi offero, gratiarum actiones, quas B. V. Maria, omnesq; ſancti & ſanctæ Dei tibi unquam, maximè cùm hoc Sacramentum ſuſceperunt, toto cordis ac mentis affectu perſolverunt: & concede propitius, ut omnis mea inſufficientia, & negligentia, eorum abundantiâ & perfectione ſuppleatur. Amen.

O Bone Ieſu! ô dulcis Ieſu! ô amabiliſſime Ieſu! ô Ieſu unica ſalus & conſolatio mea. Et undè mihi hoc, quod venias ad me, atque in immundiſſimum cor meum nimijs ſordi-

sordibus & peccatis inquinatum intrare non refugias. Benedictus sit adventus tuus, & benedicta sit dulcedo amoris tui, quæ te induxit me pauperculum visitare. Cum summa humilitate, profundissimâque reverentia procidens, sacratissimósque pedes tuos exosculans adoro te, humillimè rogans, ut ignoscas mihi, quòd cum tantâ negligentiâ, distractione, & indevotione e sacro altari tuo astiti, tam irreverenter te tractavi, támque indignè te Dominum meum suscepi. Ignosce mihi Iesu benignissime, & per saluberrimam mortẽ tuam dele iniquitatem hanc maximam, & quidquid per me neglexi, tu per te supplere dignare. Obsecro igitur, digneris hoc meum Sacrificium in cor tuum suscipere, atque in illo amore

& virtute, quâ teipſum in cruce obtuliſti, Deo Patri offerre.

Et nunc, ô bone Ieſu! offero & præbeo tibi indigniſſimum cor meum, orans, ut abluas illud pretioſiſſimâ illâ aquâ, quam divinus amor ex nobiliſſima roſa dulciſſimi cordis tui in fornace amoris eduxit: illúdque aſpergas & confortes ſuaviſſimo illo vino ſacratiſſimi ſanguinis tui, quod torcular crucis è botro divini pectoris tui expreſſit. Amen.

DIE LUNÆ.

Oratio ante Miſſam. Ex precibus Gertrudianis.

O Mitiſſime, ſuaviſſiméque Ieſu! ego omnium creaturarum indigniſſimus, ſacratiſſimum corporis & ſanguinis tui Sacramentum, ceu præſtantiſſimum contra omnes corporis & animæ meæ miſerias remedium

dium ſuſcipere, et ſumere ſtatui, certò confidens, firmiſſiméque credens, me per hoc non ſolùm meis proviſurum neceſſitatibus; ſed etjam tuæ ſupremæ Majeſtati, omnibúsque cælorum incolis ſummum præſtiturum beneplacitum. Verùm ô ſumma ineffabilísque Majeſtas, coram quâ cælj immundi ſunt, univerſæque cælorum columnæ contremiſcunt, quomodò ego viliſſimus terræ vermiculus, ego omnium fœditatum miſeriarúmque ſentina, te totius puritatis fontẽ in tam immundum cor meum ſuſcipere audebo? quomodò præſumam te in tale cor introducere, quod undíque ſpinis et tribulis peccatorum conſitum, támque tetro carnalium, et mundanorum deſideriorum odore refertum eſt? Quare ô pijſſime Amator meus erubeſco nimis coram te, vere-

 órque

órque nimis, ne magnâ te afficiam contumeliâ, ſi te in tam ſordidum, Majeſtatíq; tuæ tam indignum introducam cœnaculum. At ô Ieſu benigniſſime, qui ore tuo dixiſti, non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus, quíque cæcos et claudos, pauperes ac debiles ad cænam tuam invitaſti, ecce ego quaſi unus ex illis, imò pauperrimus et miſerrimus inter omnes illos, non ex præſumptione, ſed ex humili piâque confidentia ad ſanctiſsimam corporis et ſanguinis tui cœnam accedam. De omnibus, et ſingulis peccatis, et negligentiis meis, quibus dulciſſimam benignitatem tuam unquam offendi, et contriſtavi, átque animam meam tam fœtentibus ſordibus inquinavi, amore tui vehementiſſimè doleo.

O Vti-

O Vtinam! et millies utinam cor meum extractum à corpore daretur mihi candentibus carbonibus frustratim adeò examinandum, ut decoctâ ad purum scoriâ ejus, saltem etsi non dignam, non tamen tam nimis indignam tibi præbere possem mansionem! Sed quid valet me multùm anxiari, cùm etiamsi mille anni studio meo relinquerentur, nequaquam tamen me decenter præpararem, cùm ex me nihil omninò habere queam, quod aliquo modo valeat ad tam sumptuosam præparationem. Vnde amantissime Iesu, in humilitate cordis mei procidens ad terram, exoro clementiam tuam, ut me præparare digneris, quo ad laudem tuam, et profectum universitatis cœlestibus epulis dignè possim participari. Pijssimæ pietati tuæ offero et præbeo totam substantiam

meam

meam, desiderans et orans, ut tu ipse tibimet in me præpares quidquid tuam divinam in me summè delectare possit benignitatem. Offero & præbeo tibi amator prædulcissime, integrâ voluntate totum cor meum orans, ut abluas illud in virtuosa aqua sanctissimi lateris tui, et decentissimè illud exornes in pretioso sanguine dulcissimi cordis tui, ac tibi convenientissimè coaptes in aromatico vapore divini amoris tui. Amen.

Post Missam

Gratiarum actio. Ex via Franciscana.

ADoro, et gratias ago tibi benignissime Domine Iesu Christe, qui me vilissimum peccatorem admittere dignatus es ad splendidum, vivificúmque sacræ mensæ convivium. Heu mihi! qui nimis indignè com-

complevi. Id, quod egi, commendo clementissime Iesu, divino cordi tuo emendandum, & corrigendum, suscipe, quæso, hæc sacrosancta corporis tui mysteria, quæ tibi offero ad gloriam nominis tui sempiternam: ad honorem dulcissimæ Genitricis tuæ Virginis Mariæ, ad honorem cælestium Angelorum, sanctorum, ac sanctarum omnium, et signanter ad honorem sanctissimi Josephi, atque meorum sanctorum Patronorum NN. ad salutem meam ad salutem omnium fidelium, & vivorum & mortuorum: Suscipe præcellentissimum Sacramentum in plenam emendationem, expiationem, atque satisfactionem, pro omnibus peccatis, & negligentiis meis, & pro peccatis totius mundi. Per illud, O! salus animæ meæ Iesu dulcissime, restaura omnes ruinas meas

spi-

ſpirituales, & ſupple omnem inopiam meam; per illud, pie Jeſu dulcedo cordis mei, mortifica in me quidquid tibi diſplicet, & effice me hominem ſecundùm cor tuum; Per illud conforma Spiritum, & animam & corpus meum, ſpiritui, animæ, & corpori ſacræ humanitatis tuæ, méq; totum luce divinitatis tuæ illuſtra; per illud largire, ut in te ſtabiliar, te perfectè, & perſeveranter diligam, intimè tibi uniar, ac totus in te tranſmuter ad laudem nominis tui. Converte, Domine Jeſu Chriſte, miſeros peccatores, revoca Hæreticos, atque ſchiſmaticos, illumina infideles te ignorantes, adeſto omnibus, qui in neceſſitate, & tribulatione aliqua conſtituti ſunt. Adeſto his, qui ſe precibus meis commendaverunt, aut commendati eſſe cupiunt. Adeſto parentibus, conſangui-

sanguineis, propinquis, Consodalibus, & Benefactoribus meis, miserere omnium, pro quibus orare debeo, & rogari vis. Da, vivis veniam, & gratiam, da fidelibus defunctis requiem, lucémque sempiternam. Tibi laus Christe Jeu, in sæcula, sæculorum, Amen.

DIE MARTIS

Oratio ante Missam. Ex Floribus Rosarrum.

AD laudem, & gloriam sanctissimæ Trinitatis, in memoriam benedicti Salvatoris nostri Iesu Christi, vitæ, passionis, mortis & resurrectionis, ac in operum & meritorum suorum, omniúmque sanctorum unionem: Ad laudem quoque, exultationem & exaltationem benedictissimæ semper & immaculatè conceptæ Virginis genitricis Dei

Mariæ

Mariæ SS. Angeli Cuſtodis m̃ei, & omnium SS. Angelorum ac beatiſſimorum cæleſtium ſpirituum ſingulorum et univerſorum, Virginei, et glorioſiſſimi Sponſi Ioſephi, NN. ſignanter etiam eorum Sanctorum, quorum hodiè eſt feſtivitas in regno cœlorum; omniúmque ſingulariter & univerſaliter ſanctorum Patronorum meorum, & omnium cæli civium offero, etiam cum ipſorum beatiſsimorum ſpirituum laudibus, ſanctorúmque omnium ſuffragiis, & precibus, ac meritis, nunc & ſemper hæc & omnia alia Sacrificia, Officia, Orationes, & bona opera totius mundi, pro meis præſentibus & futuris animæ et corporis neceſsitatibus, in auxilium et conſolationem meam, et in remiſsionem omnium peccatorum meorũ, quorum veram contritionem ſemper habe-

habere intendo, conor et cupio, omniúmque vivorum, ac defunctorum meorum Parentum, Fratrum, sororum, consanguineorum, amicorum & Inimicorum ac quovis modo me persequentium, Benefactorum in spiritualibus & temporalibus, superiorum & subditorum, ac illorum singulariter, quibus fui gravamen, scandalum & occasio peccandi? pro omni gradu sanctæ Ecclesiæ Catholicæ ac illius conservatione, augmento & exaltatione, Christianorum Principum unione & concordia, hæresum extirpatione, Summi Pontificis salute, & animarum in Purgatorio existentium liberatione; Pro conservatione & augmento omnium Religionum; pro conversione omnium Infidelium Nationum: pro mihi veró singulariter, Specialiter, nominatim, & universaliter commissis & commen-

datis. Denique pro illis omnibus vivis átque defunctis, pro quibus Dominus, noster Iesus Christus, & ejus B. Mater & Virgo Maria, omnésque sancti & electi Dei, sciunt & volunt me debere orare & sacrificare. Sic oro, sacrifico & obsecro, ac orare, obsecrare, consecrare & sacrificare intendo, & propono, eâ puritate mentali & corporali, ac si supremus Seraphim humanam carnem indutus actualiter sacrificaret, ac juxta intentionem sanctæ catholicæ Ecclesiæ. Ego N. Minister tanti mysterij, licet indignissimus, proh dolor! maximus, hominum ingratissimus sacerdotum Dei infimus, & omnium servorum Dei minimus ac inutilissimus, cum intentione lucrandi & acquirendi omnes possibiliter obtentu, Indulgentias, tam mihi maximè indigo, quàm animabus in Purgatorio, pro qui-

quibus minor fit oratio, applicandas. In nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spi✝ritus sancti. Amen.

Post Missam.

Gratiarum actio.

O Dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ, & jucunda requies Spiritûs mei, dulcis Jesu! immortales tibi ago gratias pro omnibus beneficiis mihi collatis; singulariter verò quia hodiè me dignum fecisti, verum & immaculatum corpus & sanguinem tuum pretiosum consecrare, pertractare, illúdque tibi offerre in memoriam tuorum mirabilium, ad tuam gloriam, & in remissionem omnium peccatorum tam meorum, quàm illorum, pro quibus orare, sacrificare, & offerre proposui, illóque in salutem animæ meæ cibari & nutriri: quapropter verè dicere audeo; cibus meus

Chriſtus, & ego ejus. Multiplico ergò, & quotiescunque reſpiro, multiplicare intendo meam voluntatem in infinitùm in tuis laudibus. Precórque beatiſsimam Virginem, Angelos, Sanctos, Sanctas,& creaturas univerſas, pro te immenſas referre gratias: imò quia iſtæ minimè ſufficiunt, te ſupplico, tibi ipſi gratias agere, te laudare, & glorificare complaceas; & quia dignatus es iſtam indignam, tuam tamen,facere habitationem,dignare quóque apud ipſam perpetuam facere manſionem effice me hominem ſecundùm cor tuum. Vni me tibi intimè,& totum transforma & transmuta in te. Salva me Jeſu Chriſte, & cunctam à me hoſtis antiqui depelle nequitiam per tuam innocentiſſimam paſsionem. Oro tandem,ut digneris gratias, & Indulgentias omnes quas

hoc

hoc Sacrificio, vel communione mediante acquirere & lucrari poſſum, concedere, tam mihi, quàm aliis vivis, & defunctis, quibus applicare propoſui, quia teipſum & pro ipſis exoro, pro quibus & tu vis, & ſanctiſsimus Pontifex intendit hâc de cauſâ me debere orare. Amen.

Adjuvet nos gratia tua omnipotens Deus, ut qui Officium ſacerdotale ſuſcepimus, dignè ac devotè in omni puritate & conſcientiâ bonâ tibi famulari valeamus: Et ſi non poſſumus in tantâ innocentiâ vitæ converſari ut debemus, concede nobis tamen dignè flere mala quæ geſsimus; & in ſpiritu humilitatis, ac bonæ voluntatis propoſito tibi ferventiùs de cætero deſervire. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

OMnipotens ſempiterne Deus, Conſervator animarum, mundíque Redemptor, me famulum tuum ante Majeſtatem tuam proſtratum benigniſsimè reſpice; & Sacrificium quod in honorem nominis tui pro ſalute fidelium, tam vivorum, quàm etiam defunctorum, & pro peccatis, & offenſionibus meis obtuli, piiſsimè reſpice: iram tuam à me remove; gratiam & miſericordiam mihi concede: januam Paradiſi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe: & quidquid proprio commiſi reatu, clementer indulge. Sic in hoc ſæculo in præceptis tuis fac me perſeverare, ut dignus electorum gregi copulari efficiar, te præſtante Deus meus, cujus nomen benedictum, honor, átque regnum permaneat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Die

DIE MERCURII.

Oratio ante Missam. Ex precibus Gertrudianis.

O Iesu millies desideratissime, ecce nunc appropinquat hora, hora inquam illa felicissima, quâ te Deum meum in animam meam susceperus sum: Ecce Jesu mi amabilissime cum summâ quâ possum devotione & reverentiâ venio ad te, & vado in occursum tui. Extende igitur sacratissimas manus tuas ad amplexandam animam meam, sicut easdem perforaras manus tuas inter maximos mortis dolores ad amplexandos omnes peccatores extendisti. Ego, ô mi Jesu crucifixe, non solùm manus meas, verùm & cor & animam meam ad te amplexandum, & in cordis mei penetrale introducendum extendo. O utinam

talem,ac tantam devotionem , talem ac tantum amorem , talem ac tantam munditiem , quâ ullum unquam humanum cor ornatum fuit , in me haberem! O utinam & millies utinam omni virtute , omni desiderio , omníque devotione repletus essem! O utinam & millies utinam omnium Angelorum puritatem , omnium Apostolorum charitatem , omnium martyrum merita , omnium Confessorum Sanctitatem , omnium Virginum haberem puritatem & munditiem! O utinam & millies utinam tali devotione , reverentiâ,& amore te possem suscipere , sicut beatissima Mater tua te in tua Incarnatione , & postmodum in Sacramento suscepit! O utinam & millies utinam tuum sacratissimum ac divinissimum cor haberem , ut teipsum in illud ipsum

psum tali, quo dignus es, modo su-
scipere possem. Offero tibi Jesu dul-
cissime in condignam præparatio-
nem animæ meæ, & in suppletio-
nem omnis indignitatis, omniúm-
que negligentiarum mearum, uni-
versas præparationes, devotiones,
affectus & amores, quos omnes
sancti tui, maximè verò beatissima
mater tua te in hoc Sacramento su-
sceperunt. Offero tibi, Jesu sacra-
tissime, tuum superdignissimum
cor, omnésque supercæleſtes virtu-
tes & gratias, quas beatissima Tri-
nitas in idipsum superabundantis-
simè contulit, ut iisdem abyssalis il-
la vilitas & indignitas mea contega-
tur, tibíque in anima mea dignis-
simum, placidissimúmque habita-
culum præparetur.

O Jesu ſuperdulciſſime! qui ipſe-met dixiſti, delitias tuas eſſe cum fi liis hominum, te deſiderat anima mea, te affectat cor meum. Invito te igitur tali devotione & amore, quali ulla unquam amantiſſima anima te ad ſe invitavit. Veni ergò dilectiſſime Sponſe animæ meæ, veni dilectiſſime amor animæ meæ, & diverte in pauperculum diverſorium cordis mei. Veni cæleſtis Medice, veni & ſana infirmam animam meam: veni amice millies dilectiſſime, & dita extremam paupertatem meam.

Veni ſol amabiliſſime, & illumina denſiſſimas tenebras animæ meæ Veni manna ſuaviſſimum, & ſatura nimiam eſuriem meam. Veni Jeſu delectabiliſſime, veni dilecte votorum meorum, veni & cæna mecum in vili cænaculo cordis mei. Et licet

nihil,

nihil, quod divinam tuam possit condecêre magnificentiam, præparaverim; invenies tamen integram patinam bonâ voluntate, summóque in te affectu refertissimam.

O Unice amor meus! summo tui teneor desiderio, summóque te præstolor amore. O speciosissime inter filios hominum! O fons supereffluentis dulcedinis! O suavissima suavitas omnis delectationis! ah veni ad me, & ne spernas pauperculum servum tuum.

O Iesu amantissime! ex intimo cordis affectu te deosculans, rogo cum affectu omnium orationum, quæ unquam de corde tuo dulcissimo, profluxerunt, ut ad hospitiolum cordis mei digneris declinare.

Ecce Domine, ego vilis peccator, pauper, malus & indignus venio ad te supereffluentem abijssum pieta-

pietatis, ut laver ab omni macula, & replear omni gratiâ. Et licet sciam me extremè indignissimum, imò execrandum & abominandum peccatorem, de ineffabili tamen pietate tuâ confisus, eo modo & intentione ad hanc sacratissimã corporis & sanguinis tui participationem accedo, ut amore amoris & gloriæ tuæ parvi pendam (etiam si possibile esset quòd magnam damnationem mihi in Sacramento sumerem, ut tantũ modò divina pietas tua magìs claresçat per hoc, quod te tam indigno non dedignaris communicare. Veni bone Jesu, veni sponse animæ meæ: & in illo amore, quo intrasti in uterum Virginis, intra in pauperculum cor meum, &c.

Post

Post Missam.

O Sanctissime Pater, ecce ego indignissimus famulus tuus confidens de tua ineffabili pietate, suscepi dilectum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, eúmque in pectore meo tanquam rem meam mihíque conjunctam adhucdum contineo. Illum ergo Filium tuum in modum justi Simeonis in ulnas meas suscipiens, offero tibi tali affectu & intentione, quali semetipsum ad laudem tuam obtulit jacens in præsepio, pendens in cruce. Respice pie Pater ad hanc oblationem, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo & vero ad æternam laudem & gloriam, infinitúmque beneplacitum tuum.

Offero tibi eundem pro me, & pro omnibus ijs, pro quibus soleo

&

& teneor orare: in gratiarum actionem omnium beneficiorum nobis collatorũ, in ſuppletionem omniũ virtutum, bonorúmque operum, in quibus ex mera negligentia nos exercere neglexímus. Ad impetrandam, gratiam & miſericordiam tuam, quæ nos à malis & peccatis præſervet & eruat, in omni corporis & animæ neceſſitate aſſiſtat & per felicem obitum ad gaudia perducat æterna. Demùm offero tibi illum ipſum pro remiſſione peccatorum meorum, & ſatisfactione pœnarum, quorum multitudo ultra decem millia talenta excreuit, pro quibus exolvendis cùm longè ſim impar, ideo humiliter tibi procidens, confiteor tibi Pater benigniſſime, in amaritudine paſſionis innocentiſſimi Filij tui (quo tibi ſummè complacere teſtatus) & per ipſum exhi-

beo

beo tibi emendationem & satisfactionem pro peccatis meis, offerens tibi pœnas & lachrynias ejusdem, omnémque satisfactionem, quâ ipse in cruce universa mundi peccata expiavit.

Memento etiam Domine famulorum, famularúmque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, pro quibus omnibus & singulis, maximè pro NN. Offero tibi salutarem hostiam corporis & sanguinis Filij tui quam modò suscepi; rogans, ut per ejusdem infinitum valorem, pérque merita omnium Sanctorum peccata eorum condones, & à pœnis eos clementer absolvas. Amen.

(o)

DIE

DIE JOVIS.

Ante Missam. Ex deliciis Eucharisticis.

SAcrosancta Trinitas unus Deus, divinæ Majestati tuæ Sacrificium Corporis, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi offero in unione illius amoris, quo Filium Pater in mundum misisti, & illius Sacrificii, quod Filius in Cæna, & cruce obtulit: & nunc mecum offert summus Pontifex. Desidero implere, quod ipse instituit, & Ecclesia intendit. I. Ad æternum tuæ Maiestatis cultum & honorem; in protestationem supremi in nos dominii; in memoriam & venerationem Incarnationis, vitæ, & mortis Domini mei Jesu Christi. Et offero affectu Deiparæ, omnium Sanctorum, & præsertim hujus diei cum Sacrificiis omnibus

tibi

tibi placitis. Gaudeo tantum te esse, ut â nulla creatura dignè æstimari possis: Filium proindè tibi tuum in sacrificium laudis infinitâ tuâ Majestate dignum offero. 2. Offero eundem in gratiarum actionem omnium beneficiorum Creationis, Redemptionis, Vocationis, Conservationis, Eucharistiæ, aliorúmque sacramentorum: eximiorum Charismatum humanitati Christi, Deiparæ, Cælitibus, toti mundo, & mihi ingratissimo collatorum, & conferendorum. 3. In satisfactionem pro meis, omniúmque peccatis: in Compensationem offero tibi Filium Hostiam placationis gratissimam. 4. Primariò offero divinæ Majestati tuæ hanc immaculatam hostiã pro NN. Deindè pro ijs, pro quibus orare teneor. Et juxta hodiernam meam intentionem. Etiam pro Agonizan-

tibus, Animabus purgatorij, &c. Ad Indulgentias conſequendas: Hodiernas, Sodalitatis, Pontificis, quínque ſanctorum, Religionis. &c.

Ad vos ô ſancti, & Amici Dei, ad te S. Angele Cuſtos, S. Joſephe, S. Ignati, S. Xaveri. SS. Patroni mei, SS. Hodierni, omnésque cælites, ad vos ſupplex confugio: ornate veſtris me virtutibus, & ijs mihi ornato adducite Aulici ſancti veſtrũ Regem, quẽ exopto ſuſcipere eo cordis mei apparatu, qui illi in vobis maximè placuit. Túque Regina cæli, & Auguſta Mater Salvatoris mei, quem donis S. Spiritûs plena portaſti, & in Euchariſtia ſuſcepiſti impetra mihi, & omnibus hodiè communicantibus ejuſdem S. Spiritûs dona, per amorem Filii tui te precor. Et (qualiter docuiſti S. Gertrudem ante Communionem precari)

cari) te precor per illam innocentissimam puritatem, quâ Virgo placidam mansionem Filio Dei præparasti; fac tuis precibus, ut ab omni emunder maculâ. Te precor per profundissimam Humilitatem, quâ super omnes Angelos, & Cœlites meruisti exaltari; fac, ut supplean-tur omnes meæ negligentiæ. Per amorem denique illum inæstimabilem, qui te Deo inseparabiliter conjunxit, te precor; fac, ut diversorum meritorum copia mihi præstetur. Ipse etiam clementissime Jesu para Majestati tuæ in animo meo thronum ex thesauro meritorum tuorum, per eum amorem te rogo, quo te mihi in cibum dedisti. Sed & misericordissime Pater, qui Filium tradidisti, ut servum redimeres, ex hac misericordiâ & amore da, quod tibi in me placitum est.

Poſt Miſſam.

Ex floribus Roſarum.

O Inamorate Jeſu! quo te traxit dulcis amor, ut ſubieris immundiſſimi hominis domicilium: Rex regum, & ſomitor orbis terrarum. Heu me Jeſu! quomodò ſumma pulchritudo Deitatis, ò quomodò divina perfectio deificatæ Humanitatis tuæ ſtabit cum fœtore ſordidiſſimæ iniquitatis meæ? Eheu mi Jeſu! nondum Belial, necdum Dagon totaliter eliminati ſunt; cor meum necdum ara, ſed, ô! nefas etjamnum hara eſt, tot nocivis deſideriis, tot curioſis diſcurſibus, tot inquietis cupiditatibus, tot vanis affectibus irretîtum, inflexum, & pænè obrutum. Vbi candelabrum? ubi menſa? ubi lectulus? ut verus Propheta Jeſus, ſalus, & Salvator meus vi-

us videat, pascatur, & dormiat? O! me miserum & indignum, qui tantum hospitem admitto, & condignè non tracto. Vereare, ô anima! perhorresce à tanti hospitis præsentiâ: quem qui indignè sumit, judicium sibi sumit ad pœnam, non pignus ad gloriam: hospes tuus, ô anima! mors est malis, vita bonis: ah ubi bonitas tua! ô paupercula! cum à planta pedis usque ad verticem capitis in te non sit sanitas, sed livor, & sanies, & plaga crudelis. Quid faciam? Hospes inest, eiicere non convenit Dominum, cui omnia vivunt, quoniam ipsius est cælum & terra, mare, & omnia, quæ in eis sunt: nec latet divinum ejus oculum, vel minima cordis cogitatio. Vide ergò, ô Jesu dulcissime! & aspice temetipsum, ad quid veneris? nonne, ut verus Pastor quæreres er-

rantem, reduceres vacillantem, ut pius Samaritanus curares ſaucium; ut divinus ignis ſuccenderes frigidum, ut fons puritatis ablueres ſordidum, ut ſol iuſtitiæ illuminares cæcum, ut verus Salvator beatificares contritum, ut Filius Dei juſtificares perditum, aſſumeres pœnitentem, foveres non in ſuis, ſed tuis meritis & miſerationibus multis confidentem. Atque utinam! ô melliflue Jeſu! ſingula peccata mea ita agnoſcerem, ut pro ſingulis dignè plangerem, tam ſeriò ac ſufficienter dolerem, ut omnia ac ſingula condignis fletibus rigarem, & non ceſſarem donec tu, ô! lumen cordis, cor contritum aſſumeres, menſam poneres, & temetipſum intra cordis mei lectulum reclinares, qualiter te Spiritus ſanctus VERBUM Patris, in immaculatè conceptæ Virginis uterum

rum collocavit. O amor amorum ! ô bonitas bonitatum ! ô Potentia Deitatis ! ô perfectio integerrimæ humanitatis ! effice me hominem ſecundùm cor tuum: teneo te, nec dimittam. Tu meus Jeſus , & omnia: Tuus fui ab origine Creationis , tuus ſum per beneficium Redemptionis , tuus ero , ero, ero , & manebo , nec unquam ampliùs recedam per voluntariæ & perpetuæ vinculum Deſponſationis: Tu meus Jeſus , Crearor, Recreator , Salus & Salvator , animæ meæ Curator, cordis Cuſtos & Dominator. O!mi dulciſſime Jeſu , eijce quæſo , quod diſplicet , adde , quod deeſt , conſerva & adauge , quod adeſt virtutis & gratiæ : purga ſordes , elue fæces, emunda maculas , multiplica gratias, dele omnimodè omnes culpas , remitte totaliter omnes pœnas, largire

omnipotenti bonitate tuâ dona plurima, qui potes innumera & infinita: accende frigidum, rectifica curvum, perfice rigidum, ut fiam ex hoc momento nunc, & ſemper, per omnem reſiduam vitam meam, homo ſecundùm cor tuum. Hoc per temetipſum, ô ſummum bonum! per Omnipotentiam Patris, per unionem ſancti Spiritûs, per amorem Deiparæ Matris tuæ Virginis Mariæ, per omnes ſanctos Angelos & Electos tuos, per fidelem cuſtodiam ſtudioſiſſimi Nutritii tui Divi Joſephi, per laudes & merita omnium Iuſtorum in cælo, & in terra, tibi fideliter ſervientium, rogo, ſis mihi Jeſus, & ſalva me. Amen.

(o)

DIE

DIE VENERIS

Oratio ante Missam. Ex Justinello. Floribus Rosarum, & deliciis Eucharisticis.

DEus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Judæis reprobari, â Juda Traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis & opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, lanceâ vulnerari. Tu, Domine, per has sanctissimas pœnas, quas ego indignus recolo, & per sanctam crucem

& mortem tuam, libera me à pœnis inferni: & concedere digneris, ut Sacrificium, quod ad laudem nominis tui offerre intendo, ſit mihi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

O Dulciſſime & amoroſiſſime Jeſu! deteſtor & abominor omnia & ſingula peccata mea, & omnium hominum ab initio mundi, in hanc uſque horam commiſſa, & proh dolor! uſque in finem committenda: quæ ſi poſſem, impedirem etiam propriâ vitâ, per quosvis cruciatus, contempta: per tuam ineffabilem miſericordiam, quam ſupplex imploro.

O Diviniſſime & omnipotentiſſime Ieſu! laudo, approbo, magni-

gnifico & benedico omnia bona opera, ab origine mundi, in hanc úlque horam, ab omnibus charis tuis facta, & úsque in finem mundi adhuc facienda; & si possem ex intimo cordis affectu multiplicarẽ ea in infinitùm per tuam omnipotentem gratiam, quam supplex invoco.

O Clementissime Jesu! qui es Remissio omnium peccatorum, en ego miserrimus & sceleratissimus omnium peccatorum, ex toto cordis affectu ignosco, condono, & remitto omnibus adversariis, calumniatoribus, Detractoribus, Irrisoribus, Persecutoribus, & quibus vis Inimicis meis, & omnibus, quocúnque modo mihi nocentibus, aut nocere cupientibus, aut falsè & criminatoriè deferentibus, vel etiam mala imprecantibus, suscitantibus, &

cau-

caulantibus, ſicut tu ipſe in ara crucis omnibus tuis Tortoribus toto cordis affectu remiſiſti.

O Perfectiſſime Jeſu! quæcúnq; cogitavero, dixero, fecero, & deſideravero, hæc omnia puriſſimâ & ſimpliciſſimâ intentione, ad majorem Dei gloriam, cum omnibus iis Sanctis intentionibus, quas unquam omnes ſancti habuerunt, & habituri ſunt in æterna ſæcula; perfecta volo.

O Millies & infinities benigniſſime Jeſu! tuam ſummam imploro bonitatem & clementiam, pro omnibus imagine Dei inſignitis, ubivis locorum exiſtentibus, ſempérq; implorare & exorare intendo, ut unicè deſiderem omnium ſalutem, paratus pro ſingulis mori, ſi â gehenna & ab æterno interitu libera-

re

re possem: gaudeo dulcissime Jesu! te hoc, & posse & velle: precórq;, ut & ego per te, & in te omnibus valeam prodesse, & nulli nocere.

O Jesu infinitè amabilis! & desiderate millies, veni in cor meum: posside illud, & conforma cordi tuo. Veni sol, qui totum mundum illuminas, illumina mentem meam. Veni cælestis auster, animum meum perfla; ut in eo crescant grata tibi aromata virtutum. Veni pluvia diviniſſima, ſtillicidio tui pretioſi ſanguinis irriga mentem meam. O mare gratiarū Jesu! te amplector, de quo virtus exibat, & sanabat omnes: ſana animam meam. Veneror caput ſpinis coronatum, frontem ſputis defœdatam, oculos vigiliis marcidos, genas colaphis contuſas, ſaucios cruce humeros, vulne-

vulneratúmque corpus totum, & totum exoſculor. Exoſculor pedes, manúsque clavis, & pectus lanceâ; magísque mei amore transfixum. Præſumo, clementiſſime Jeſu! tua intrare vulnera, civitates refugii, balnea peccatorum, animi pharmaca, fidei lumina, fundamenta ſpei, amoris incendia, theſaurorum æraria, virtutum alimenta, victoriæ inſignia, flumina ſalutis; ut in his ſine naufragio ad cælum navigem. Amen.

Poſt Miſſam.

O Clementiſſime Deus! ne proijcias me à facie tua, pro cujus ſalúte te abieciſti; & cui te jam in alimoniam dediſti. Parce pater amantiſſime, parce filio prodigo. Da veniam omnium delictorúm meorum per pretioſiſſimum Filii tui ſanguinem, per vulnera, per omnia ejus

jus merita precor. Hæ sunt divitiæ, quas offero in satisfactionem meorum debitorum. Da, ut divinâ præsentiâ tuâ liberer ab omni prorsus peccato,& replear donis gratiæ tuæ. Da gratiam emendandi omnes etjam minimos defectus : maximè hunc, contra quem examen particlare agit. Vides quàm sim fragilis. Ego quidem lapsum cavere propono, sed tamen labor. O suppone manum tuam. Da, ut à rebus terrenis me expediam ; fræna inordinatos affectus meos. Da, ut mihi moriar: & tibi vivam. Eripe me de inimicis meis. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Do tibi Domine, omnem illam laudem, quam in æternum dare potuissent infames illi spiritus, qui me, meos, totúmque mundum oppugnârunt, & sunt oppugna-

pugnaturi. Da gratiã ordinaria opera perfectiùs peragẽdi, maximè hoc-&c cupio tibi ſervire deinceps in juſtitia, & ſanctitate. Da auxiliũ perfectè ſervandi vota: proficiendi in virtutibus vocatione meâ dignis. Robora memoriam, intellectúmque juxta muneris mei exigentiam illumina & voluntatem tui amore inflamma. Cor mundùm crea in me Deus. Cohibe per potum tuum felleum omnem concupiſcentiam. O humilis Jeſu, qui ad me indigniſſimum veniſti: da mihi humilitatem, per tuam dimiſſionem te rogo. O Domine! qui in horto ſanguineo cùm fervore oraſti: fac, ut laudem te ex toto corde. Ne dormîtet ãima mea in tuo cultu, & ſervitio. O Ieſu patientiſſime! per alapas, per flagella, per iñumeras, quas pro me perpeſſus es injurias te obteſtor: da mihi patientiam, &

man-

manſuetudinem. O! mi Salvator, concede mihi, quod deeſt ad felicem mortem: cui tam vicinus ſum, ut hodiè evenire poſſit. Per tuum agonem, & tres in cruce horas miſerere mei in illo mortis articulo, à quo pendet æternitas. Pone etiam inter juſtitiam tuam, & peccatricem animam meam, cùm ad tribũal tuum venerit, ſanguinis tui pretium. Denique ſis in omnibus mihi omnia: dux in dubio, Magiſter in ſcientiis, virtus in tentationibus, Medicus in ægritudine, ſolamen in anguſtijs, clypeus in adverſitate, ſalus in agone. Per eandem charitatẽ, quâ dilexiſti mundũ, miſerere omniũ pro quibus mori dignatus es. Applica uberrima Paſſionis tuæ merita ijs, pro quibus orare ſoleo, ac teneor. Largire vitam beatam defunctis, in qua pro me etiam te laudent, &

& ament : gratiam vivis , quâ tibi magìs palceant per tua, B. Virginis, & omnium ſanctorum merita.

S. Virgo Mater , S. Tutelaris Angele, S. Joſephe , SS. mei Patroni, SS. hodierni, & omnes cælites impetrate, ut panis Euchariſticus ſit mihi, meísque robur in infirmitatibus , periculisque animæ , ac corporis ; ut in fortitudine cibi huius ambulemus per mundi deſertum úsque ad montem Dei , & patriam cæleſtem: ubi vita ſine morte, gaudium ſine interruptione , bonum omne ſine fine. Amen.

DIE SABBATHI

Oratio ante Miſſam. Ex precibus Gertrudianis.

O Summa & adoranda Trinitas, ego licet omnium peccatorum maximus, attamen per gratiam tuam

am ad sacerdotale munus vocatus, ad sacrosancta hæc mysteria tractanda, Sacrificiúmque hoc incruentum offerendum accedere intendo. Igitur in unione illius immensæ charitatis, quâ sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares: In unione illius infinitæ dilectionis, quâ idem unigenitus tuus humanam naturam assumpsit, Sacrificiúmque istud instituit & offerri voluit; & semetipsum in ara Crucis pro nobis obtulit: átque adhuc dum in cœlo tanquam fidelissimus Advocatus ostendendo cicatrices & vulnera se incessanter offert. Et demùm in unione amoris, reverentiæ & devotionis, quâ ullus unquam Sacerdos idipsum obtulit, ad altare tuum accedam, atque tremendum hoc Sacrificium, unà cum omnibus totius mundi Sacrificiis offeram.

Igitur ſuper altare tuum, ſanctiſſime Pater, pono & offero omnia merita, virtutes & bona opera, quæ unigenitus tuus toto tempore vitæ ſuæ peregit, maximè verò ſanctiſſimam ejus Paſſionem, crucem & mortem, humanitatem & divinitatem ſuam, & in unione horum offero tibi omnia merita B. MARIÆ Matris ſuæ, omniúmque Sanctorum: omnia vulnera & dolores SS. Martyrum: omnes mortificationes & auſteritates Confeſſorum: omnem continentiam & amorem Virginum: omnes tribulationes & gemitus afflictorum, omnes miſerias & indigentias pauperum, & demum totum theſaurum S. Matris Eccleſiæ. Cui ſpecialiter addo omnia dicta, facta & cogitata, quæ ego, meíque ſpeciales amici pro honore tuo unquam fecimus, omnémque

que adversitatem, quam propter te sustinuimus. Et utinam omnia opera nostra talia fuissent, ut tibi offerri & præsentari potuissent: sed qualia qualia sunt, tu ea dignanter accipe.

Et hæc omnia bona opera atque passiones, huic Sacrificio unitas, offero tibi sanctissime Pater, per unigenitum Filium tuum, in virtute Spiritûs sancti, nomine meo, omniúmque amicorum meorum, átque totius sanctæ Ecclesiæ ad summam Majestatis tuæ gloriam, cultum & adorationem tibi supremo rerum omnium Domino debitam: in veram & condignam gratiarum actionem pro omnibus inexhaustæ bonitatis tuæ divitiis, quas humanitati Domini nostri Jesu Christi, beatissimæ Virginis MARIÆ, omnibúsq; sanctis in cælo, ac creaturis in toto hoc mundo, maximè verò mihi,

meísque ſpecialibus amicis in corpore & anima unquam contuliſti. In plenam abolitionem omnis injuriæ ab omnibus peccatoribus, quorum ego peſſimus ſum, tibi irrogatæ: ac demùm in tuum ſummum beneplacitum, gaudium & oblectationem, quam ex hoc tam grato tibi Sacrificio ſemper percipis.

Deindè illud tibi offero in ſingulare augmentum gaudii & gloriæ: humanitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti: in memoriam & reverentiam SS. ejus Incarnationis, Nativitatis, vitæ, Paſſionis & mortis ejus: in memoriam & honorem omnium ſuſpiriorum, lachrymarum, vulnerum, dolorum, guttarúmque ſanguinis pro nobis effuſarum. Atque in ſpeciale augmentum beatitudinis B. Virginis MARIÆ, omniúmque Sanctorum & Sanctarum, maximè verò

SS. NN.

SS.NN. Tertiò offero tibi illud pro S. Matre Eccleſia, omnibúsque ejus membris & filiis, rogans per infinitam hujus Sacrificii virtutem, ut eam cuſtodire, dilatare, & in omni bono perficere velis. Item in ſatisfactionem & expiationem omnium peccatorum totius mundi; maximè eorum, quæ, eheu! ego, ſpecialésque amici mei commiſimus.

Demùm quantâ poſſum virtute & efficaciâ, offero tibi illud pro me indigniſſimo famulo tuo, nec non & pro Parentibus, fratribus, ſororibus, conſanguineis, & benefactoribus meis: pro omnibus afflictis, infirmis, egenis, & in quacúnque tribulatione conſtitutis; ac pro omnibus, pro quibus Filius tuus ſeipſum imolavit, & adhuc imolari deſiderat. Et demùm pro omnibus in Purgatorio detentis, maximé pro NN.

& pro quibus me ſcis obligatum. Ecce Domine, quia me voluiſti fungi Sacerdotio, pro his omnibus legatione fungor apud te, omnes iſti expectant elevationem manuum mearum, oblationem Sacrificii hujus. Pro his omnibus accedam ad Altare tuum, portans iniquitates & miſerias tam meas, quàm omnium illorum, quas tibi in Spiritu humilitatis & in animo contrito offeram, & ante oculos tuos ſtatuam; ut virtute hujus ſacrificij peccata noſtra aboleantur, & miſeriæ noſtræ adjuventur.

Verùm, ô Domine! quomodò pro peccatis alienis intercedam, qui de proprijs non ſum ſecurus? quomodò pro alijs miſericordiam implorabo, qui ob perditam vitam, & depravatos mores meos omni tuâ gra-

gratiâ & misericordiâ indignum feci? Igitur in amaritudine passionis tuæ moveo querimoniam, dolens & pœnitens de omnibus modis, quibus gratiæ obicem posui, spiritum tuum in me extinxi, támque multiplicibus peccatis & negligentijs meis te offendi. Super quibus ascendat ad te gemitus cordis mei, & suscipe quam tibi offero querimoniam infelicitatum & pravitatum mearum nimis multarum. Dele, pijssime I E S U, omnia peccata mea, de quibus vehementer doleo, in illo amore, quo totius mundi peccata lavisti. Riga aridam animam meã lachrymis, quas fudisti; unge eam Myrrhâ dolorum, quos sustinuisti? & purifica eam pretiosissimo sanguine tuo, quem tam copiosè effudisti. Emitte manum tuam de alto,

& corrobora ac dignifica me in hac hora ad ſacrificium ritè celebrandum. Spiritus S. ſuperveniat in me, & virtus Altiſſimi obumbret mihi, ut citra damnationem aſſiſtere merear metuendo Altari tuo : téque Agnum Dei immaculatum mundo corde & immaculatis manibus tractem, offeram & immolem in laudem tuam æternam, & ad ſalutem totius univerſitatis. Amen.

O Caſtiſſima Virgo MARIA, rogo te per illam innocentiſſimam puritatem, quâ Filio Dei in utero tuo Virginali placitam manſionem præparaſti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

O Humillima Virgo MARIA, rogo te per profundiſſimam illam humilitatem, quâ ſuper omnes choros Angelorum & ſanctorum meruiſti exaltari, ut tuis precibus ſupplean-

pleantur omnes negligentiæ meæ.

O Amabiliſſima Virgo MARIA, deprecor te per amorem illum inæſtimabilem, qui te inſeparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus præſtetur mihi copia diverſorum meritorum. Amen.

O Mater pietatis & Miſericordiæ! beatiſſima Virgo MARIA, ego miſer & indignus peccator, ad te confugio toto corde & affectu; & precor pietatẽ tuã, ut, ſicut dulciſſimo Filio tuo in cruce pendenti aſtitiſti, ita, & mihi miſero peccatori, & ſacerdotibus omnibus, hîc, & in tota ſancta Eccleſia, hodiè offerentibus, clementer aſſiſtere digneris: ut tuâ gratiâ adiuti, dignam & acceptabilem hoſtiam in conſpectu ſummæ & individuæ Trinitatis offerre valeamus. Amen.

Poſt

Post Missam.

Aspirationes

Ex Delicijs Eucharisticis.

CRedo te Dominum meum, & Deum meum intra me commorantem. Sentiat præsentiæ divinæ potentiã mens mea; eam illumina, fidémq; adauge. Spero Benignissime IESU, me fore meritorum tuorum, donorúmque cælestium participem. Quid negabis mihi, cui Teipsum dedisti. Iam habeo Te, qui habes omnia; possideo Te, qui potes, & possides omnia. Noli cor meum jam foris quærere, quod ames; habes intra te cæli delicias Amabilissimum Deum. Amo te diviniſſime Hospes: accende in me tui amorem; da, ut nunquam extinguatur, nec intepescat. O anima mea! immitte te totam in præ-

sens

sens tibi, & apertum CHRISTI IESU latus; amoris thronum, clementiæ portum, gratiarum pelagus, perfectionis paradisum, & abyssum divinitatis: hauri hinc cum S. Chrysostomo merita, & sanguinem Domini tui, & cum hoc omnia.

O Beata Trinitas! ô Infinita Deitas! ô divina Humanitas! ô! corpus IESU salutis meæ Victima, ô! Anima amoris mei vita prosterno me, & Majestatem divinissimam intra me existentem adoro omnium Sanctorum possibili affectu. Venisti ad servum Dominus, sponsus ad infidelem sponsam, pater ad prodigum filium, ad creaturam Creator, ad nihilum omne Bonum, infinita sanctitas, & Majestas ad infinitam fœditatem, & miseriam, Deus ad limum. Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt

No-

Nomini ſancto ejus. Sed, & benedicat Tibi, æterne Deus Unigenitus Filius tuus, qui intra me eſt. Per illum Maieſtatem tuam laudant Angeli: & ego per illum Te laudo, amo, de gloria Majeſtatis tuæ exulto, & deteſtor omne peccatum meum. Offero illius omnes gratias, eas etiam, quas ante Inſtitutionem hujus SS. Sacramenti elevatis oculis noſtro nomine dedit. Denique univerſos illos actus, quos ſecum mihi donavit, Tibi velut thymiama ſuaviſſimi odoris offero. Suſcipe illas etiam ô Deus! laudes & gratias, quas Beata Virgo Mater MARIA in tui Conceptione, Nativitate, Communione dedit; & jam perſolvit. Benedicant etiam te omnes cum S. Angelo meo Cuſtode omnes Angelici chori, qui throno tuo adſtantes Sanctus, Sanctus, Sanctus procla-

clamant. Et omnes Sancti suis laudibus (quas in usu hujus sacramenti obtulerunt, & nunc offerunt) compensent precor, meam insufficientiam. Exopto, ut omnes creaturæ, quas tres pueri in fornace illæsi invitârunt, omni & perenni affectu laudent te Deum intra me habitantẽ per quem ab æterno incendio liberatus sum. Magnus es Domine, & laudabilis nimis. Desidero omnes vitæ meæ respirationes tibi eas esse laudes, & gratiarũ actiones, quas omnes tibi cœlites offerunt.

Liberatissime Deus, qui te mihi in cruce obtulisti, & in Eucharistia jam dedisti: me etiam tibi totum offero. Renovo, & confirmo vota mea, omnia tibi serviendi desideria. Atque ut divinissimas Epulas non sine symbola sumpserim, meam adhuc hodiè sensualitatem, & amorem

rem proprium in aliquo vincam: ut oblatus Deo ſim acceptior. Nihil mundanum deinceps, & vanum recipiet cor meum, in quo Deus habitas. Habeto clavim cordis mei; ut ingrediaris, & diſponas pro tuo arbitrio plenus illius Dominus. Reſigno me juxta tuũ arbitriũ ad vitã, vel mortẽ. Et quid magnũ eſt, quod in manus ſalvatoris mei amantiſſimi me committam? qui ſe in carnificum rabiem pro me obtulit; & pro vita mea mortuus eſt. Quæ commutatio, quòd pro Domino ſervum, pro Deo reddam hominem peccatorem? Dilectiſſimum proindè tibi tuum, & Virginis Filium, mihi intimè unitum, terræ cælíque theſaurum, & velut rem meam offero, Pater Clementiſſime, ut in eo tibi perfectè comp aceas.

O Beatiſſima Virgo MARIA,

ecce

ecce Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti, átque suavissimis amplexibus Strinxisti. Ecce cuius aspectu lætabaris & omnibus delitijs replebaris, illum ipsum, quem ex inæstimabili divinæ bonitatis dignatione hodiè dono datum in corpus & animam meam suscepi, tibi humiliter & amanter repræsento, & offero tuis brachijs constringendū, tuo ore exosculandum, tuo corde amandum, & unà mecū, imò pro me adorandum: nec non & SS. Trinitati in supremum Latriæ cultum, pro meis totiusque mundi necessitatibus offerendnm: ut quod meis meritis non præsumo, tuæ prærogativâ dignitatis in hâc oblatione suppleatur.

O Vos omnes sancti & sanctæ Dei, maximèverò vos dilectissimi Patroni mei NN. Ecce Dominum &

Sponſum veſtrum IESUM CHRI-STVM, quem viventes in carne totâ mente dilexiſtis, vos omnes & ſingulos ſaluto per eum, quem modò in Sacramento ſuſcepi, & in ſingulare augmentum gaudij, gloriæ ac beatitudinis veſtræ offero vobis eum cum omni amore & fidelitate quam in tempore vobis exhibuit, & modò in æternitate inceſſanter exhibet: orans, ut eundem pro me adoretis & colatis, átque ſanctiſſimæ Trinitati pro meis, totiúsque Eccleſiæ neceſſitatibus, próque gratiarum actione omnium beneficiorum mihi collatorum ſummâ devotione offeratis. Et quidquid per me impetrare nequeo, veſtris meritis & precibus impetrare merear. Amen.

Alia

Alia Oratio.

Tum pro ſe, tum pro Defunctis. Ex die Parthenio.

O Animæ meæ hoſpes dulciſſime, Jeſu mi cordialiſſime, tua ſuavis incorporatio ſit mihi hodie omnium peccatorum meorum remiſſio, negligentiarum ſuppletio, & totius deperditæ vitæ recuperatio. Sit mihi æterna ſalvatio, animæ & corporis ſanitas & reparatio, amoris inflammatio, virtutis inſtauratio & vitæ meæ in te ſempiterna concluſio, quoadúsque exutus hujus vitæ moleſtiis, in æternum lætabundus exultem in charitatis tuæ deliciis, ſicut Sponſa gaudet in Regis deliciis.

Benedicant te, ô Deus ſalutis meæ omnia interiora mea, jubilent tibi deſideria præcordiorum meorum &

vota, quia tu es Deus meus, qui fecisti mecum, &, ut spero fiduciali-ter, cum anima ista, cui Indulgentias applicavi, misericordiam: sis benedictus in sæcula. Verè si haberem omnes Angelorum & hominum vires, has in tua laude libentissimè expenderem. Nunc omne quod sum & possum ego pulvis & cinis, peccator & homuncio, id ad laudem & gloriam tuam refundo, & in te consumi desidero, quia tu es optima pars mea, electus meus ex millibus, quem solum amat & diligit anima mea.

Nunc tantùm te rogo, ô Deus cordis mei, in virtute Sacramenti hujus, quod susscepi, suscipe me vicissim in te, ut tu in me, & ego in te maneam, tibíque Sponso & amatori perpetuò sim unitus, & deinceps

ceps in omnibus me gubernes, ut reviream & floream in te, sicut herba marcida refloret ad pluviæ salutaris inundationem.

Laudent te omnes Cœlites pro hoc imẽnso beneficio, quòd me pretioso corpore & sanguine Filij tui refeciſti: Laudet te cum omnibus sanctis tuis Anima illa, quam hodiè ex purgatorij pœnis, indulgentijs adjutam, liberâsti, & benedicat tibi cum gratiarum actione in sæcula sæculorum Amen.

Ad Animam liberatam.

NUnc oro supplex, ô Anima benedicta, quæ hâc Communione, vel sacrificio adiuta, é carcere purgatorij evolâsti ad cœlestem Patriam; respice ad necessitates meas, ut siquæ videris animæ meæ pericula imminere ab ijs me custodias, & quando stete-

ris ante faciem Dei altiſſimi, pro me non ceſſes deprecari Majeſtatem eius, quam ego miſer toties offendi, ut à peccatorum meorum vinculis me exolutum, in gratia ſua ita conſervet, ut in gloria æterna eum tecum & cum omnibus Sanctis laudẽ in ſæcula ſæculorum, Amen.

Invocatio Omnium Sanctorum, quam Chriſtus B: Mechtildem docuit, & orare iuſſit. Ex precibus Gertrudianis.

Sancti Patriarchæ & Prophetæ ſaluto vos per dulciſſimum corIeſu Chriſti, ut Deo pro me offerre dignemini veſtrum ardens deſiderium, quod ad incarnationem Chriſti habuiſtis.

Saluto vos, ò Sancti Apoſtoli, per dulciſſimum corIeſu Chriſti: rogans, ut Deo pro me offerre dignemini fi-

deli-

delitatem & constantiam vestram, quâ cum Christo in tentationibus suis permansistis, & prædicatione vestrâ fidelem populum congregastis.

Saluto vos, ô Sancti Martyres, per dulcissimum cor Iesu Christi: rogans, ut Deo pro me offerre dignemini vestrã patientiam, quâ sanguinem vestrum pro amore Christi effudistis.

Saluto vos, ô sancti Confessores per dulcissimum cor Iesu Christi: orans, ut Deo pro me offerre dignemini vestram sanctitatem, quâ alijs verbo & exemplo viam vitæ ostendistis.

Saluto vos ô sanctæ Virgines per dulcissimum cor Iesu Christi sponsi vestri: rogans, ut Deo pro me offerre dignemini puritatem & castitatem vestram, quâ promeritæ estis, quòd modò in cælo Christo sitis proximæ.

Saluto & veneror vos omnes ſancti & ſanctæ Dei, per dulciſſimum cor Jeſu Chriſti, & per idipſum ago Deo gratias pro omni bono, quod ex eodem in ſalutem veſtrûm profluxit: orans omnes communiter, & ſingulos ſingulariter, ut quilibet veſtrûm pro me miſero offerre Deo dignetur illas virtutes & perfectiones, quibus cognoſcit ſe maximè Deo complacere.

Amen.

(o)

FA-

FASCICVLVS VIII.

In quo

Preces Miſcellaneæ Gertrudianæ.

Blanditiæ Chriſti, in Paſſione ſuâ blaſphemati.

AVe vivificans gemma divinæ nobilitatis. Ave immarceſcibilis flos humanæ dignitatis Jeſu amantiſſime, pro omnibus blaſphemijs, & contumelijs tibi in terris illatis, ex affectu, & amore totius creaturæ ſaluto, & benedico te, tot millenis vicibus, quot guttas ſanguinis in paſſione tua ſudiſti, quot vulnera in ſacro corpore tuo habuiſti, quot colaphos, pugnas & alapas accepiſti. Benedico, & ſaluto te, dulciſſime Jeſu, tot millenis vicibus, quot ſuſpiria emiſiſti, quot lachrymas fudiſti, quot dolores ſuſtinuiſti. Benedico & ſaluto te tot millenis vicibus, quot actus virtutum elicuiſti, quot deſideriis ſalutem humanam ſitîſti, quot nictibus Matrem & amicos aſpexiſti. Benedico & ſaluto te tot millenis vicibus, quot

lapſibus cecidiſti, quot deliquiis defeciſti, quot motibus manus aut pedes moviſti. Benedico & ſaluto te, mitiſſime Jeſu, tot millenis vicibus, quot guttas ſanguinis ſudaſti, quot pœnoſis greſſibus ambulaſti, quot gemitibus Patrem exoraſti. Benedico & ſaluto te, ſuaviſſime Jeſu, tot millenis vicibus, quot vulneribus in flagellatione conciſus, quot ſpinis in coronatione vulneratus, quot fœtentibus ſputis es maculatus. Benedico & ſaluto te tot millenis vicibus, quot funibus ligatus, quot opprobriis ſaturatus, quot impiis ſalutationibus es ſalutatus. Benedico & ſaluto te tot millenis vicibus, quot falſis teſtibus accuſatus, quot fœdis mendaciis oneratus quot iniquis judicijs es condemnatus. Has omnes laudes & ſalutationes mille millenis vicibus multiplicatas tibi offero, & ſingulis horis offerre deſidero, benigniſſime Jeſu, toto affectu cordis & animæ meæ: deſiderans, omnes injurias, contumelias & blaſphemias tibi dulciſſimo Redemptori meo tam indebitè objectas prorſus abolere & annihilare: orans, ut deſiderium pauperis tui non deſpicias, ſed

juxta

juxta ingenitam tibi benignitatem ratum habeas & gratanter acceptes. Amen.

Oratio
Ad Christum in Cruce pendentem.

PRecor te amantissime Domine JESU Christe, propter illam eximiam charitatem, quâ humanum genus dilexisti, quando tu Cœlestis Rex pendebas in ara crucis vulnerato corpore, & transfixo corde, conturbatis sensibus tristissimo gestu, sanguineis vulneribus, defluentibus guttis, expansis brachijs, confixis pedibus, extensis membris, livido ore, pallidâ facie, mortali colore, lachrymosis oculis, gemebundo gutture, inclinato capite, aperto latere, atque tristissimâ animâ. Per illam, inquam, charitatem, quâ cor tuum dulcissimum scindebatur, quando benedicta anima tua egressa est de benedicto corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo. Amen.

Ad S. Michaëlem Archangelum.

SAlve Princeps glorioſiſſime, Michaël Archangele. Salve nobiliſſime Dux ſuperni exercitûs. Salve decus & gloria cæleſtium Hierarchiarum. O Princeps illuſtriſſime, tu ſummè obligatus es Creatori tuo, qui absque ullis tuis meritis te tantâ excellentiâ ditavit, tantísque virtutibus exornavit. O Heros auguſtiſſime, Ornamentum Paradiſi, gemmáque præfulgida cæleſtis Palatij. Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ & perfectus decore, omnis lapis pretioſus ornamentum tuum: aureum opus perfecti decoris tui. In deliciis Paradiſi Dei perambulas, in medio lapidum ignitorum, in monte ſancto Dei. Tu à Deo conſtitutus es Princeps ſuper omnes animas ſuſcipiendas, & ad Paradiſum exultationis introducendas. Admoneo te, ò beatiſſime Princeps, harum, omniúmque gratiarum quas incontinentíſſima Dei liberalitas præ omnium Angelorum Ordinibus tibi contulit, rogans per amorem mutuum divini, & Angelici cordis tui, ut in die obitûs mei animam meam ſuſcipere, tuáque

inter

interceſſione clementem mihi judicem efficere digneris. Amen.

Ad S. Angelum Cuſtodem.

ANgele Dei ſacratiſſime mihi à Deo in cuſtodiam deputate, gratias tibi ago pro omnibus beneficijs, quæ mihi in corpore&anima unquam exhibuiſti. Laudo& glorifico te quòd mihi miſerrimo tam fideliter aſtare, atque contra omnes hoſtium inſultus tueri dignaris. Benedicta ſit illa hora, quâ mihi in Cuſtodiam datus, & in Defenſorem atque Patronum deputatus es. Benedicta ſit tua in me charitas, omniſque tua ſolicitudo, quà ſalutem meam promovere non ceſsas. In recompenſationem omnium obſequiorum mihi à iuventute exhibitorum, offero tibi prædigniſſimum, nobiliſſimúmq; cor JESU Chriſti, ſicut eſt ſuperabundans omni beatitudine: rogans mihi ignoſci, quòd toties ſanctis tuis inſpirationibus renitendo, te chariſſimum amicum meum contriſtaverim: atque deinceps firmiter proponens tibi obedire, Deóque meo fideliter ſervire. Amen.

O An-

Alia Oratio ad S. Angelum Cuſtodem quotidie recitanda. Ex Directorio Petri Iuſtinelli.

O Angele benigniſſime, cuſtos mi, mi Tutor, Magiſter, Dux Educator, Propugnator, ſapientiſſime Conſiliarie, & fideliſſime amice mi: cuius fidei â divinâ Bonitate ſum creditus, iam indè ab eo puncto temporis, quo lucem aſpexi usque ad ſupremam horam vitæ meæ, quantam reverentiam tibi debeo, qui non ignorem, quocúmque loco ſim ibi præſentem adeſſe te? quantâ devotione me tibi ſervire oportet, propter amorem quo vigilas pro me? quantâ fiduciâ me præditum eſſe convenit, cùm tu, ut præſidio mihi ſis, latus meum aſſiduò tegas? nunc itáque Angele ſancte, doce me, corrige me, protege me, duc me per viam rectam, & tutam ad ſanctam civitatem: néque permitte, ut, te præſente quidquam committam, quod te offendat, & quod ſpectante alio homine mei ſimili non auderem. Propone Domino deſideria & miſerias meas, & impetra ab infinita ejus bonitate illarum remedium. Vigila, dum ego dormio:

mio: ne fatigare, cùm fatigor ego: tene me labentem: erige me lapsum: dirige me errantem: anima me diffidentem: defende me in certamine periclitantem: refræna impetum hostis versuti, & in hora mortis meæ libera me à serpente tartareo, ut perductus, & defensus abs te, perveniam ad glorioſum domicilium tuum, túque gaudeas de felicitate mea, & ego gaudeam de gloria tua, & Dominus tuus ac meus glorificetur in vobis & in nobis, & in omnibus & ab omnibus, in sæcula sæculorum. Amen.

Modus eligendi sanctum Patronum familiæ. Ex eodem Directorio.

Scire oportet genus esse pietatis admodùm consentaneum Doctrinæ Catholicæ fidei de intercessione & invocatione Sanctorum, ut quispiam Sanctorum assumatur in Patronum familiæ. Id genus pietatis in Societate IESU, induxit S. Franciscus Borgia, ex paternâ assumptum domo, quod deinde in sodalitia Societatis ejusdem promanavit.

Modus hunc Patronum eligendi talis esse potest. Primò, *jubeat Paterfamilias, ut singuli ejus aliquo die festo peccata ritè confes-*

sione

ſione expient, & S. Synaxim adeant, ut melius comparati ad hanc electionẽ accedant. Deinde *collectis in unam pyxidem pluribus chartulis quibus inſcripta ſint nomina ſanctorum, qui notiores vulgò, ſunt & quorum vitæ magis in promptu ſunt, aut in quos quilibet de familia propenſiori pietate fertur, recitetur:* VeniCreator, *aut Litaniæ Sanctorum, aut alia* Oratio. *Eâ abſolutâ, educatur ſorte una è chartulis, & cujus in ea inſcriptum eſt nomen, is ab omnibus in Patronum recipiatur. Ad extremum recitetur:* Te Deum Laudamus, *aut alia* Oratio, *ſéque omnes ſancto electo commendent.* Tertiò, *Propoſita ſit in præcipuo & patenti loco domûs, Tabella ſive imago ſancti, cui omnes venerationem exhibeant, cùm eam prætereunt, egredientes domo aut revertentes.* Quartò, *ad hujus ſancti patrocinium confugiant, cùm familia calamitatibus, & incommodis afficitur.* Quintò, *omnes qui domi ſunt diem annuam hujus ſancti Feſtum habeant: omnes confiteantur, & communicent: pridiè legatur ejus vita: aliquid devotionis obeatur jejunando aut geſtando Cilicium, aut flagello ſe cædendo.* Sextò, *Paterfamilias hæredibus*

teſta-

testamento hunc Sanctum Patronum relinquat. Hujus enim generis Pietatis officia, Christianorum propria, salutare admodùm exemplum fidelibus præbent.

Ad Sanctum, vel Sanctam, cujus Festum celebratur. Ex precibus Gertrudianis.

LAudo, glorifico & Benedico ô Sanct. N. & ex omni virtute mentis meæ gratulor tibi de omni gloria & honore, qui ex incontinentissima divinæ pietatis Supereffluentia hodiernâ die tibi præstitus est. Admoneo te supereffluentissimi illius gaudij quo exultabas dum per ministerium SS. Angelorum conspectui gloriæ Domini æternis præmijs remunerandus præsentareris. Recordare ô beatissime illius honoris & exultationis, quando per manum Domini diadema regni capiti tuo impositum, & sacratissima anima tua in sede gloriæ collocata est propter hæc aliaque gratiarum dona, âDomino Majestatis tibi unquam collata, adoro, laudo & benedico ineffabilem Dei benignitatem pro eo, quòd nectarei torrentes suæ

mellitæ pietatis tam copiosè inundaverint ſuper te. Et in vinculum perpetuæ dilectionis & fidelitatis, quo te mihi alligare deſidero, offero tibi ſuaviſſimum, omnisque boni contentivum cor JESU Chriſti, unâ cum omni dilectionis, & dignationis affectu, quem tibi unquam exhibuit in terris, & modò ſine fine exhibet in cælis. Demum plenâ fidelitate commendo me tuis SS. Orationibus, orans & obſecrans, ut in die obitûs mei in ſupplementum negligentiarum mearum, Domino offerre digneris omne ſtudium & præparationem, quâ hodiernâ die Aſſumptionis tuæ perfectiſſimè conſummatus coram Domino aſtitiſti. Amen.

Ad ſanctum tui Nominis. Ex Calendario novo.

S. N. cujus Patrocinio & nomine jam ab ipſa hora Baptiſmi me Deus munivit, reſpice ex illa æternæ ſecuritatis Urbe me hîc inter quotidiana æternùm pereundi pericula exulem, & juva, ut felicem hujus nominis catalogum nomine meo augeam in libro vitæ. Tolle à me quod

quod me impedit, & impetra id, quod mihi magis expedit, ad salutem; nec me desere, úsque dum unâ tecum coràm Deum videam & amem in æternùm. Amen.

Ad Sanctos ejus Diei, qui tibi erit ultimus in hac vita. Ex Anno cælesti.

DEus, qui habes claves vitæ, mortis, & æternitatis meæ, in tua manu absconditas. Tu scis, quo anno, mense, die, horâ, me sis evocaturus ex hac vita. Rogo te, per quicquid amas in cælo, & in terrâ, ut in hoc me exaudias, quod nunc peto: & ibi me, ac tunc evoces, quando me videbis maximè tibi gratum, & maximo erga te amore, pro ineundis itineribus æternitatis, quàm optimè comparatum. O sancti omnes! ô omnes electæ àDeo Animæ, quarum anniversario pretiosæ mortis die diem extremum claudam in hac regione umbræ mortis; impetrate mihi (& omnibus, qui eo die in supremo agone periclitabuntur) frequentissimos, excellentissimi erga Deum amoris, actus, nunc, ac potissimùm

ultimo illo die, átquè momento; ut ſit pretioſa, in conſpectu dilecti Dei, vita mea, mors mea, æternitas mea.

Hymnus ad S. Florianum Martyrem adverſus incendia Patronum.

SAlve ſancte Floriane
Salve Decus Martyrum,
Semper noſter cuſtos mane,
Sis Protector ſupplicum.
Si tonante cælo, grando,
Cadant nubes, ſulmina.
Tecta ſtabunt tuta, quando
Tu defendis culmina.
Fruſtra venti murmurabunt,
Tuo ſub præſidio.
Truſtra vires igni dabunt,
Tuò Patrocinio.
Igitur, ô cuſtos bone,
Pias grates accipe,
Memor noſtri ſis, Patrone,
Nósque tuos protege.
Draco dudum infernalis
Tela torquet ignea,
Eripe tu cunctis malis
Nos, & habitacula.

Sit laus DEO præpotenti
Cui damus gloriam,
Floriano nos tuenti,
Qui dat istam gratiam.
℣. Ora pro nobis S. Floriane.
℟. Nobiscum semper auxiliator mane.

Oremus.

DEUS, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius; ut nos non exurat flamma vitiorum, néque contristet ignis domorum. Per Dominum. &c,

Ex Libello Aquila grandis dicto.

Preces contra Pestem, & quosvis morbos contagiosos. Ex Palmeto cœlesti.

Oratio ad Deum.

MEdiâ vitâ in morte sumus, quem quærimus adjutorem, nisi te Domine? qui pro peccatis nostris justè irascéris, sancte Deus, sancte fortis, sancte & immortalis, miserere nobis.
℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.

Oremus,

DA nobis, quæſumus Domine, piæ ſupplicationis effectum, morbósque peſtilentiales à nobis propitius averte: ut mortalium corda cognoſcant, â te indignante talia flagella prodire, & te miſerante eadem ceſſare. Per Dominum. &c.

Oratio ad B. Virginem.

STella cæli extirpavit,
Quæ lactavit Dominum,
Mortis peſtem, quam plantavit,
Primus parens hominum.
Ipſa ſtella nunc dignetur
Sidera compeſcere.
Quorum bella plebem cædunt
Diro mortis ulcere.
Glorioſa ſtella maris
Summis digna laudibus,
Nos à peſte tuearis,
Et â mundi fraudibus.
Medicina Chriſtiana
Sanos ſerva, ægros ſana,
Quod non valet vis humana,
Præſtet tua gratia, Amen.

Dic

Dic tertiò.

Audi nos MARIA, nam Filius nihil negans te honorat: Salva nos Messia, pro quibus virgo Mater te orat.

Oremus.

DEus misericordiæ, Deus pietatis, Deus Indulgentiæ, qui misertus es super afflictionem populi, & dixisti Angelo percutienti populum tuum sufficit nunc, contine manum tuam. Ob amorem tuum & gloriosæ Matris tuæ, cujus ubera pretiosa, contra venenum delictorum nostrorum dulciter suxisti: præsta auxilium gratiæ tuæ, ùt ab omni pestifero morbo, & improvisâ morte securi liberemur, & à totius perditionis incursu salvemur, per te IESU Christe, Salvator mundi, Rex gloriæ, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivis, & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Amen.

Oratio ad SS. Patronos, Josephum, Franciscum Xaverium, Sebastianum, Rochum, Antonium & Rosaliam.

O Beatissimi Patroni! S. IOSEPHE, Francisce Xaveri, Sebastiane, Roche, Antoni & Rosalia intercedite pronobis ad Dominnm IESUM Christum, ut á morboEpidimiæ &ab omniInfirmitate corporis & animæ liberemur.

℣. Orate pro nobis ò beatissimi patroni nostri! S:IOSEPHE, Francisce Xaueri, Sebastiane, Roche, Antoni, & Rosalia.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus CHRISTI.

Oremus.

Omnipotens sempiterne DEVS, qui meritis sanctorum tuorum IOSEPHI, Francisci Xauerij, Sebastiani, Rochi Antonij, & Rosaliæ ab Epidimiæ morbo homines liberasti: præsta supplicibus tuis, ut qui pro simili gratia impetranda ad te confugimus ipsorum intercessione ab omni pestilentium morborum periculo eruamur. PerDominum nostrum &c. Amen.

Fas-

FASCICULUS IX.

Precum Veſpertinarum

Ex via Franciſcana,

IN nomine pa † tris, & fi † lij, & ſipri-tus † ſancti, Amen. Benedicta ſit ſancta, & individua Trinitas nunc, & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum Amen. ſanctus DEVS, ſanctus fortis, ſanctus & imortalis miſerere mei.

I. *Solve Deo gratias*

OMitiſſime, & benigniſſime DEVS, fons, & origo omnis boni, ex medullis cordis mei gratias tibi ago pro beneficiis omnibus, ac ſingulis ab æterno hucúſque, & hodiè ſingulariter mihi collatis, & in æternum, uti Spero, conferendis: ſpecialiter autem, quôd me indignum ab æterno ſic adamaveris, & in filium, ac hæredem æternæ beatitudinis elegeris: & cùm necdum natus eſſem, pretioſiſſimo ſanguine, Cruce, Paſſione, ac acerbiſſimâ morte tuâ redimere decreveris: nec non me hominem bo-

nâ ratione præditum ad imaginem tuam formaveris, ſanguinéque tuo per Baptiſmum ab Originali peccato mundaveris: denique ad veram catholicam fidem vocaveris, & ad hunc ſanctum vivendi ſtatum me converteris, & in peccatis graviſſimis poſt ſuſceptum me putridum aberrantem, tibi contumelioſum, & mundo ſcandaloſum tot annis langanimiter toleraveris, nec, quod millies, & millies commerueram, in ſceleribus meis damnaveris, ſed ad ſalutis viam admonveris.

Gratiarum tibi etiam refero actiones, quòd me toto vitæ meæ curſu non tantùm ab immuneris corporalibus, & ſpiritualibus malis præſervaveris, nec permiſeris gravibus delictis irretitum, ſubitâ, & repentinâ morte, utì alios quàm plures, abripi: præſertim verò gratias tibi ago, quòd à me hoc jam labente die omne corporis, & animæ damnum paternè averteris. Ah! quot hodiè petulanter vitæ jacturam fecerunt! quot milleni in abyſſo æternitatis infernalibus uſtulantur flam̃is, qui adhuc hodiè mane ſani, læti, & bonarum rerum fuêre! quod mihi idem, aut ſimile non evene-

rit, nulli gratias referre possum, nisi tibi Domino, ac Deo meo, clementissimo. Igitur lauda anima mea Dominum, & omnia, quæ intra me sunt, nomen sanctum ejus. Benedic anima mea Domino; & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Laudate Dominum omnes Angeli ejus, qui facitis voluntatem ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus. Benedicite Dominum omnia opera ejus: benedic anima mea Dominum, ex hoc, nunc, & usque in sæculum, Amen.

II. *Pete lumen.*

O Pijssime Deus meus, agnosco; & fateor, quòd pro innumeris collatis mihi beneficijs, non tantum me ingratum exhibuerim verúm etiam divinam Majestatem tuam novis iterum varijsque peccatis offenderim, Quia verò ex innatâ cæcitate cõmissos defectus, ut par est, agnoscere non valeo: supplico piissimæ bonitati tuæ; ut oculos mentis amoris proprij obtenebratos caligine, illumines, & gratiam præstes, lapsus hodiernos non solùm rectè perscrutandi, sed etjam solidè de iis pœnitendi, quô sic in gratiam

tiam tuam, ô Deus meus, redire queam. O Domine, aperi oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus prævalui adversùs eum.

Iam discute cogitationes, verba & opera totius elapsæ diei.

III. *Delicti veniam posce.*

ECce ô benignissime Deus, hæc est gratitudo à me tibi hodiè pro tot beneficiis exhibita. Totum quidquid sum, & habeo, à te habeo, ut id totum in tuum servitium impenderem: & ecce ego totum in tui despectum tot vitiis impendi; verùm, ô Domine, pœnitet me ex intimis medullis cordis mei, quòd te infinitum bonum, quod super omnia amare, honorare, ac respicere debueram, tam graviter læserim, & despexerim. O! utinam tam felix essem, ut omne id, quod in te tam petulanter unquam deliqui, sanguine meo diluere, & abluere valerem. Ah! quis dabit capiti meo tantùm aquarum, & oculis meis tot fontes lachrymarum: ut saltem cum pœnitentibus, Petro & Magdalena commissa mea pavescam, &

ante

ante te erubeſcam ? ſed heu ! video, ſentióque cor meum in petram obdurâſſe, quæ nec guttam aquæ dare vult, ideòque cùm aliter non poſſim, offero tibi totum illum lacrymarum Oceanum, quô alii pœnitentes unquam ſua peccata abluerunt.

IV. *Reſcinde malum.*

AH! quid poſthac ? num rurſus me ſimilibus delictis obſtringam ? pergámne iterum animam, vulnera Chriſti, & ſanguinem, cæleſtem Patriam, & gloriam pro vaniſſimis nugis prodigere? Rurſum me, ut porcus in lacunam luculentæ voluptatis abiiciam ? Rurſum fortaſſis hodiè, hâc nocte, vel cras ſicut canis reſorbebo vomitum, quem jam coram te Deo meo, & tota curia cæleſti exſpui, & abominatus ſum ? nequaquam ; averte id, ô Deus meus, per tuam ſanctam gratiam, & auxilium tuum divinum. O Pijſſime Pater ! cum Davide hoſtes meos, id eſt malas conſuetudines, átque paſſiones tamdiu perſequar, donec illas expugnavero, & in meam poteſtatem redegero. In teſtem hujus meæ ſeriæ volun-

luntatis, invoco inprimis te, ô Mater misericordiæ, deindè meum chariſſimum Angelum tutelarem, S. JOSEPHUM, & tandem omnes cæleſtes Patronos ac Patronas: & adhuc ſemel firmiſſimè propono, quod poſthac millies malim mori, quàm te Deum meum, vel minimo peccato mortali voluntariè, ac deliberatè offendere. In ſatisfactionem patratorum delictorum meorum, offero tibi Deo meo tuam ſacratiſſimam Paſſionem, præclariſſima merita tuæ benedictæ Matris, & omnium Sanctorum. Præterea totum id, quod reliquâ vitâ meâ boni cogitavero, dixero, egero, vel adverſi paſſus fuero: Et confido in infinita bonitate, ac miſerationibus tuis, quòd ob merita pretioſiſſimi ſanguinis ac mortis tuæ, peccata, aut pœnas ijs debitas miſericorditer dimiſſurus, & tantum gratiæ ſis largiturus, ut poſthac probam, ac meo ſtatui dignam vitam ducere, & tibi quoad vixero in timore tuo ſervire valeam, Amen.

V. Co-

V. *Commenda te Deo.*

DE reliquo, ô clementissime Deus, abiicio me totum in paternæ protectionis tuæ suavissimas Ulnas, ac integerrimè in tuam voluntatem resigno: dispone de me, ac meis semper, & ubique sicut tibi Deo, ac Domino meo visum fuerit, Unicum suppliciter obsecro, conserva me posthac in tua perpetua gratia, & jube sanctos Angelos tuos hâc nocte super me vigilias custodire: ut cras manè sanus, ac lætus expergiscar, tibique exactius, quàm hodiè serviam: quòd si autem jusseris me hâc nocte per subitaneam mortem ex hac miserabili lacrymarum valle migrare, tunc unicè, & humillimè rogo, ut pallio sanctorum meritorum tuorum coram rigidissimo tribunali justitiæ tuæ iniquitates meas contegas, & me quam primùm in cælesti gloria ad visionem tuam beatificam comparere facias. Nam quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. In te credo, in te spero, te amo, tibi vivo, & tibi moriar, tèque in æternum cum omnibus san-

ctis

ctis tuis laudare desidero. Qui vivis, & regnasDeus benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Ad B. Virginem.

Ex precibus Gertrudianis.

IN tuam maternamfidelitatem, ac singularem custodiam cõmendo me hâc nocte, ô beatissima virgo MARIA; rogans, ut me ab insidijs inimici tuearis. O dilectissime Angele Custos; ô vos S. Patroni mei, hâc nocte defendite, & incolumem seruate me. Et pro me dormiente incessanter DEVM meum laudare: mihique vestram benedictionem, quam humiliter peto, conferre dignemini. Amen.

Ad S. Iosephum.

Ex Manual. Confr. S. Iosephi vien.

SAncte IOSEPH, in illas benedictas manus cõmendo animam meam, quibus beatissimæ tuæ sponsæ manum in desponsatione tetigisti.

Sancte IOSEPH, in illas benedictas manus commendo animã meam, quibus IESUM parvulum sæpius circumtulisti.

Sancte IOSEPH, in illas benedictas manus commendo animam meam, quibus

dul-

dulcem IESUM in Ægyptum deduxisti & in Galilæam reduxisti.

Sancte IOSEPH in illas benedictas manus comendo animam meam, quibus victum dulcissimo puero IESU, ejusque Matri sanctissimæ cum sudore vultûs tui parâsti.

Sancte JOSEPH, in somno qui mortis imago est, assiste mihi ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus prævalui adversùs eum: quapropter JESUS, MARIA, JOSEPH, cum ANNA, atque THERESIA sint mea nocturna custodia.

Pax Domini nostri JESU Christi, & virtus Passionis ejus & Benedictio omnium Sanctorum, & custodia Angelorum, nec non suffragia omnium Electorum, sint inter me & omnes inimicos meos, visibiles & invisibiles, hac nocte & in hora mortis meæ. Amen.

JESUS Nazarenus Rex Judæorum, hic titulus triumphalis liberet, & præservet me à subitanea, improvisa, & mala morte. Fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda radix David alleluia.

In Nomine Domini noſtri JESU Chriſti crucifixi cubitum eo, qui me redemit ſuo pretioſo ſanguine, ille me ✝ benedicat, regat, cuſtodiat hac nocte ab omni malo, & poſt hanc miſeram vitam perducat me ad vitam æternam, Amen.

In manus tũas Domine cõmendo Spiritũ meum: redemiſti me Domine DEUS veritatis. In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. JESUS, MARIA, JOSEPH.

Aliud Examen Conſcientiæ brevius

Ex deliciis Euchariſticis.

I.

Oſculare gratus vulnus dextræ.

ADoro te Deum meum, & gratias tibi ago pro beneficiis, quæ filii tui ſanctiſſimæ humanitati, ejus Matri divis hodiernis, SS. meis Patronis, & cælitibus omnibus contuliſti. Benedicta ſit omnipotentia tua, quæ me creavit; charitas tua, quæ me redemit; Providentia tua, quæ me hucúſque conſervavit. In gratiarum actionem offero tibi laudes militantis, & triumphantis Eccleſiæ: &

me-

merita Salvatoris mei, præsertim sanguinem è vulnere manus dextræ in cruce manantem.

III.

Osculo sinistræ pete lumen.

AMantissime Salvator, per dolorem & sanguinem manus sinistræ mentem meam illumina ad agnoscendos defectus; & affectum inflamma ad eosdem deflendos, & corrigendos.

III.

Osculo pedis dextri te examina.

Expende, quid deliqueris cogitatione, verbe, opere, & omissione per horas singulas. Inquire occasiones peccatorum: ut iis evitatis peccata evites. Et examine absoluto dic:

QUàm longè aberravi à via mandatorum Domini mei; licèt viam illam cruentis vestigiis mihi Christus designârit. Quàm frequenter etiam hodiè sum prolapsus. Vestigia gressuum meorum deleat sanguis Salvatoris mei.

IV.

Oſculo pedis ſiniſtri dole.

PArem veſtræ contritionem S. Petre, S. Magdalena mihi impetrate. Doleo intimè, quòd te amantiſſimum Deum, & ſummum bonum meum offenderim. Deteſtor univerſa delicta mea: quia tu illa deteſtaris. Clementiſſime JESU in patentia tua vulnera, in abyſſum divinæ miſerationis tuæ immergo omnia peccata mea: & veniam rogo, ac ſpero à divina bonitate tua. Reſpice in me & miſerere mei.

V.

Oſculo S. lateris te emenda.

AMantiſſime JESU, ab hac hora ſatisfaciam æquiſſimo deſiderio cordis tui pro mea ſalute in cruce tranſfixi; & corrigam quidquid in vita deliqui. Nunquam ampliùs tuam bonitatem infinitè amabilem offendam. Confirma hoc propoſitum meum, per tuum pretioſiſſimum ſanguinem precor, quem æterno Patri in ſatisfactionem delictorum meorum offero. Da gratiam amantiſſime Deus, ut perfectè te amem, & glorificem in æternum. In-

Intentio ante ſomnum.

Ex precibus Gertrudianis

DOmine JESU, hunc ſomnum ſuſcipiam in illo amore, quo tu eundem ſanctificaſti, cùm in tua SS. humanitate conſimili uterêris ad laudem DEI Patris, & ſalutem totius generis humani: orans, ut in unione divini amoris tui cedat in augmentum ſalutis omnibus cœleſtibus, terreſtribus & purgandis. Amen.

O! cor JESU dulciſſimum, tibi commendo hâc nocte cor & corpus meum, ut in te dulciter requieſcant. Et quoniam ego jam obdormiturus DEUM laudare nequeo, tu illud pro me ſupplere digneris; ita, ut quot pulſus cor meum hâc nocte dederit, tot laudes SS. Trinitati pro me perſolvas: omnémque halitum, quem ſpiravero, in te ſuſceptum, eidem tanquam vivas amoris ſcintillas offerre velis. Amen.

(o)

FASCICULUS X.

Devotionum pro infirmis, & suffragiorum pro fidelibus defunctis.

CUm negotium omnium negotiorum gravissimum ac periculosissimum sit, BENE AC FELICITER MORI, *meritò inter primas curas, hoc sollicitè curandum est bono Sodali; agitur enim in illo decretorio momento, de transitu ad felicem, vel infelicem Æternitatem. Et licet prima ac præcipua ad felicem mortem sit dispositio*, BONA VITA *plurimùm tamen etiam proderunt ad hoc, vota ac preces, eo fine ad* DEUM, *ejúsque Sanctos, Agonizantium Patronos, præmissæ. Quare sanis, æquè ac ægris, sæpè cum Davide gemendum ac ingeminandum est:* Notum fac mihi Domine finẽ meũ, & numerum dierum meorum ut sciam quid desit mihi. *Et rursùm:* Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversùs eum. *Commendatas præterea tibi, pie Sodalis, habeto de-*

defunctorum animas, viventium suffragia enixè implorantes. Memor illius 2. Machab. 12. *Sancta ergò & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur.*

Præparatio proxima ad bonam & felicem mortem.

QUòd te mors tantùm angustet & timorem ac horrorem incutiat, causa est quia nescis utrum odio an amore dignus sis? nescis quomodo à Deo sis excipiendus, an ad requiem, an ad pœnam? Ut autem ab hac te angustia, & pavore velis exonerari, sequentes ad benè & feliciter moriendum dispositiones observabis. Primò *expedi cor tuum à curis & sollicitudinibus sæculi, & amare desine quæ mundi sunt, & sic non gravatè feres recessum ex mundo.* Deindè *tempestivè provide de Sacramento Confessionis, Viatico, atque extremâ Unctione.* Tertiò *contestare, te ex animo ignoscere omnibus qui tibi aliquando molesti fuerunt; rogans Deum, ut vicissim omnibus tuis offensis ignoscat.* Quartò, *cum illâ extremâ horâ dæmon totis viribus integritatem fidei labefactare conetur; protestare te credere quidquid sancta*

Mater Ecclesia credit: Et in hac fide Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ, te velle vivere & mori, non consentiendo, aut disceptando cum Tartareo hoste, quæcunque dubia proposuerit. Quintò *ante oculos tibi propone Christum Crucifixum, recolendo ejus passionem, mortémque amarissimam; crucem quoque amplectere, osculare ejus rosea vulnera, te totum in eis imprimendo.* Præterea *omnem salutis tuæ spem constitue, in meritis & miserationibus JESU Christi, & in ijs humiliter confide, non in meritis aut operibus tuis.* Deprecare *etiam ipsam agonizantium Matrem Virginem MARIAM, S. IOSEPHUM, & S. BARBARAM, omnésque cælicives ac Patronos, ut in eo agone tibi assistant, & ad jucundissimam suam velint perducere Societatem. Denique cùm in extremis nihil utiliùs queat esse, quàm seipsum divinæ voluntati ex integro resignare, offeres te Deo plenissimè ad sufferendum patienter omnem languoris acerbitatem, ipsámque mortis amaritudinem, & omnem dolorem, quem tibi Dominus in tempore & æternitate immittere voluerit, purâ ac simplici intentione, voluntarium ad mortem, ex amore illius*

illius, qui amore tui prior pro te mortuus est. Sic dispositus benè ac feliciter vitam cum morte, & mortem cum vita æterna commutabis. Hæc ex Fas. Devot.

Resignatio infirmi.

Ex precibus Gertrudianis.

SAnctissime Pater, ecce ego vilis & paupercula creatura tua, propriæ voluntati meæ prorsus abrenuncians, offero, & resigno me tuæ sanctissimæ voluntati & beneplacito, præ omnibus deliciis huius mundi, optans & desiderans, ut laudabilissima, placidissimáque voluntas tua in me, per me, & circa me, tam in corporalibus, quàm spiritualibus, in tempore, & æternitate plenissimè semper perficiatur. Et si mihi optionem dares, ò mi Deus, petendi, quodcùnque vellem, & sanctè mihi jurares, quòd petitioni meæ per omnia annuere velles, nihil aliud peterem, nec desiderarem, quàm ut laudabilissima voluntas tua secundùm optimum beneplacitum tuum tam in me, quàm in omni creatura tua perficeretur Et ad hoc perficiendum ex intimo corde paratus

ratus ſum, amore amoris & gloriæ tuæ o-mnes dolores & cruciatus hujus meæ in-firmitatis, imò & mortem ipſam, nec non & omnia mala & pœnas, quæ mihi per rigorem divinæ juſtitiæ tuæ in tempore & æternitate imponendæ forent, patienter ſuſtinere. Hinc coram te & omnibus ſanctis fateor & proteſtor, quòd ſi penes me eſſet, adhuc mille annis in omnibus deliciis præter voluntatem tuam vivere, malim tamen purè ob amorem & gloriam tuam, ſi voluntas tua eſſet, hâc horâ mori. Quare in unione reſignationis il-lius, quâ Chriſtus in monte Oliveti ſe tuæ voluntati integrè commiſit, ipſius affe-ctu & intentione, ipſius corde & ore di-co, & millies repeto: Non mea, ſed tua voluntas fiat, Pater ſanctiſſime, in tempore & æternitate.

Amen.

(o)

Actus

Actus Fidei, Spei, & Charitatis.

Ad Crucifixum, in mortis periculo. P. Jo. Polanci. Ex Man. Sod. Majoris B. V. Annunc.

DOmine JESU Christe, credo, quòd DEUS meus, & Redemptor meus es tu, quem hæc imago repræsentat: credo, quòd pro mea salute de Virgine MARIA nasci, & in cruce mori dignatus es. Credo, quidquid per S. Ecclesiam Catholicam mihi credendum proposuisti: & in hâc fide protestor me vivere velle, & mori. Domine IESU, doleo, quòd summam bonitatem tuam offenderim; & doleo, quòd non magis doleam de tot offensis contra te Creatorem & Redemptorem meum ingratissimè perpatratis. Utinam nunc tempus aliquod haberem, quo possem peccata mea plangere! plus enim angit me peccasse contra te, quàm omnes dolores mei. Imò

etiamsi

etiamsi nunquam obtinerem cælum, tamen servire vellem tibi Deo meo, qui dignissimus es, cui ego, & omnes creaturæ etiam sine retributione serviamus. O Deus! da mihi per sanguinem tuum veniam, quia firmiter propono me malle mori millies, quàm vel leviſſimè te offendere. Atque siquid oblitus sum, vel non cognosco, quo tuam Majestatem offendi, de eo quóque illuminari cupio, & pœnitere; pro omnibus veniam petens. Omnibus, qui me unquam offenderunt libenter, & ex animo, propter te, mi Deus! offensas dimitto, & si offendi ego aliquem, precor etiam humillimè mihi veniam dari. Si quid alienorum bonorum est apud me, quantùm teneor, & facultates meæ se extendunt, volo satisfieri omnibus. Spero in divina tua misericordia, & in sanguine tuo, quòd me licèt indignum salvum facies, & adimplebis lætitiâ vultûs tui: quod, ut facias, per sanctam Passionem, & mortem tuam te precor. Corrobora me, Domine JESU, contra omnes Sathanæ insultus, & scuto misericordiæ tuæ: protege me, ut in pa-

ce

pace in idipsum dormiam, & requiescam: quoniam tu, Domine, in spe singulariter constituisti me.

Oratio pro felici morte ad B. V. *Ex Fasciculis Devotionum.*

METuo Mortis horam, ô MARIA, metuo luctas & tentationes maligni, metuo meam infirmitatem, metuo egressionem animæ à corpore; Sciens quàm periculosum sit illud iter, cujus omnia latera obsident Dæmones, qui morituris, ut egredientes rapiant animas, assistunt & strictissimè perscrutantur omnia, nihil contaminatum in cælum admitti scientes. O tu summè potens, & summè Dulcis MARIA! hoc in tanto periculo, & agone mihi venias in adjutorium; néq; me deseras hoc in extremo certamine, quæ per totam meam vitam me præservasti, & consolata es: quid enim tunc faciam, aut quò me vertam, dum hinc peccata omnia mea tam horrenda, ob oculos mihi conspicienda ponentur; illinc dæmon in desperationis barathrum detrudere me sataget, & justa destricti Judicis senten-

ſententia pro omni æternitate animam è corpore egredientem excipiet atque judicabit? O Mater! ô Virgo! quid tunc me fiet, ſi tu me deſeris, &, vel ad momentum te â me elongas? Plorans certè plorabo, & cum lachrymis ad te, quoad vixero, clamare non ceſſabo, ut in hora illâ mihi formidandâ ſuccurrere & adeſſe mihi digneris, néque me in poteſtatem inimicorum tuorum & meorum devenire ſinas, ne fortè ſupergaudeant mihi dicentes: ecce jam tenemus eum, ubi eſt ejus Domina, de cujus auxilio & clementia confidebat?

Abige eos procul à me, bona Mater; quoniam ad tuam præſentiam aut non conſiſtent, aut certè dentibus frementes obmuteſcent; & non ceſſes ab officio piæ Matris, donec à Filio veniam & miſericordiam impetraveris, donec in locum tutum me perduxeris, ubi appropinquare non valeant inimici, ubi lachrymas abſterges ab oculis meis, & pro pallio mœroris induas me veſtimento lætitiæ & fulgoris.

O Prædulcis MARIA, ſi quando pro neceſſi-

cessitate aliquâ ex corde ad te clamavi, certè pro extremâ illa mortis necessitate maximè & cordialiter tibi supplico, ut me tunc non derelinquas, sed præsentia visitationis tuæ infirmum me confortet, ab inimico protegat, & desolatum consoletur. Siquidem omnis mea spes in te sita est, quod iratum mihi justè tuum Filium conciliabis & mitigabis, neque sines exultare de præda tamdiu speratâ Diabolum, sed animam ab ejus ore violenter, si se ingesserit, extrahes, eámque tuis manibus ad salvandum trades, & non gloriabuntur maligni se prævaluisse adversùs eum, qui Dei Matrem suum posuit refugium.

Certè MARIA, memor dolorum illorum acerbissimorum, quos sub cruce Filij tui gustasti, nec non & amoris illius, quo te idem Filius tuus Joanni dilecto suo Discipulo in Matrem, & illum tibi in Filium commendavit; animam meam humiliter & affectuosè tibi etiam commendo, ut in hora egressionis ejus â corpore eam suscipias, & ab omni potestate & invasione dæmonum eripias; hæc est hora, Virgo Mater, cujus ad memoriam

totus

totus contremiſco & tabeſco, ſciens tam enormiter me oculos Filii tui offendiſſe; ante quos comparere, non ſine cauſa formido; hæc eſt hora illa tremenda, pro quâ toties ad te cum lachrymis ſuſpiro, ut eam mihi bonam & felicem impetres & facias; hæc eſt hora, in qua piam & benignam te mihi experturum me confido, & licet reus ſum nimis, & peccator, meæ tamen in te Confidentiæ fructum tunc me percepturum non diffido. Quomodo enim maternis tuis oculis ab inimico vehementer abſtrahi cerneres miſeram hanc animulam, quæ quantumvis undique peccatrix & inquinata, frequenter tamen ad te cum affectu cordis ingemuit, & poſſe per te ſalutem à tuo Filio conſequi ſperavit, & quomodo incaſſum effuſæ eſſent preces, quantumvis indignæ, peccatoris hujus & lacrymæ, quando auditum à ſæculo non eſt, quod ullum peccatorem ad te confugientem ſis aſpernata, vel in Diaboli poteſtate permanſerit, qui lacrymans tuum invocavit auxilium, qui cum fiduciâ & humilitate ſuam tibi ſalutem commendavit & animam?

O MA-

O MARIA pijſſima, quæ in tempore opportuno fideliter ijs ſubvenis ſemper, qui te invocant, & humiliter in te ſperant; adſis mihi compatiens in meo extremo agone, & conforta me in noviſſimis meis, quando hinc dolorum vis, & morbi urgebit, inde conſcientia ad divini judicii diſcuſſionem pavebit, illinc autem Dæmones, & horrendo ſuo aſpectu me terrebunt, & propoſita peccatotum meorum omnium magnitudine & multitudine in deſperationis foveam daturbare me contendent; â quibus ut inoffenſus eruar anguſtiis, nullâque inimici tela, nulla tentamenta me vincant, confirma me tunc clementiſſima Domina, in verâ & amorosâ compunctione, quæ ex divina charitate procedat; tum & in fide catholicâ, certâ & inconcuſſâ ſpe, perfectâque charitate, ut his munitus armis viriliter & perſeveranter contra Adverſarios meos, tuo cum auxilio decerter, ſacroſanctisque Eccleſiæ Sacramentis humiliter & devotè perceptis, finem vitæ bonum & felicem conſequar, & ex ijs ſim unus, qui per te Filio tuo reconciliati, ſalvati ſunt, & à

diaboli faucibus erepti, & ab æterno igne liberati. Appare autem tunc mitis & consolans me, dulcissima, dic animæ meæ, ego Mater sum misericordiæ, confide in me; ego te non derelinquam, sed rogabo pro te Filium meum; ô quam consolatus emergam, si faciem hanc tuam videro, si vocem audiero, si consolationem sensero! Quàm fortis ad resistendum diabolo, quàm inter dolores mortis patiens, quàm resignatus ad omnem Dei voluntatem! sic, sic Mater, me conforta, sic me protege, sic me consolare & visita, ut fugiant à facie tua exterritæ diabolicæ Potestates ab infestatione suâ desistentes, & ego cum amorosâ respirans in te fiduciâ, suaviter obdormiam inter brachia tua beatus in pace, & separatus per te ab affectione omnium, quæ mundi sunt & carnis, cum corde contrito, resignato, & ad cælestia anhelanti, Deo meum reconsignem Spiritum, & ad eum, qui me creavit, & redemit, te ducente, felicitei perveniam.

Quia verò Dæmones, tanquam Leones rugientes ad escam devorandam præparati animam meam è corpore egredientem ob-

obſervabunt, ut eam rapiant, deglutiant, & æternaliter ſecum crucient; aſta tu è contra, Virgo benedicta, & cuſtodi taliter animam meam à meis mortalibus inimicis, ut eam nullus eorum tangere poſſit, ſed ſtatim cùm egredietur à corpore, placeat tibi dulciſſima, ut ſicut ſapiens obſtetrix parienti aſtans infantem juvat, ne in exitu materni uteri moriatur aut ſuffocetur, ſic & animam meam, dum ſeparabitur à corpore, in ſinu tuo materno excipias, tanquam novam creaturam DEO, & æternæ vitæ renatam, eámque in tuam cuſtodiam & defenſionem accipere digneris, ut iter per te tutum obtineat, & nullus ei nocere poſſit inimicus in via. Quia etiam ſine te coram Filio tuo parere durum mihi nimis & periculoſum eſſet, contege me, obſecro, ſub palliolo illo deſiderabili, quo peccatores ad te confugientes operire atque abſcondere ſoles, & manibus tuis delicatis animam meam, pro eâ ſupplicans, Filio tuo trade & præſenta; quæ, quia tunc nuda ſicut infans recens natus & tremula magno cum pavore, accuſationes Dæmonum audiens,

& ſententiam æternitatis expectans, coram Judice, Filio tuo aſtabit; tunc, tunc mei cauſam contra malignum age, & ſuſcipe, Mater benedicta, & placa tuum Filium, ei pectus tuum oſtendens & ubera, ut propter te peccata mihi in ſuo ſanguine condonet, pœnas commeritas remittat, & mitem mihi profe rat ſententiam; fugiat autem hoſtis infernalis, videns me tibi donatum, & ego ereptus de laqueis ejus, laudes miſericordi tuo Filio, & tibi Virgo Mater, in omne ævum concinam, Amen, Amen.

Præmiſſis Litanijs Lauretanis dic: Tria Ave MARIA pro felici fine.

Quâdam vice rogabat B. Mechtildis Beatam Virginem, ut ſibi in hora mortis aſſiſteret. Cui illa: de hoc certa ſis, ſi mihi indies trinam ſalutationem (modo quo ſequitur) perſolveris. lib. de B. V. c. 10. ex Pre. Ger.

Ave MARIA, &c. *uſque ad illa verba:* Sancta MARIA Mater Dei, ſicut DEUS Pater ſecundùm magnificentiam omnipotentiæ ſuæ te ſuper omnes creaturas exaltavit, atque potentiſſimam effecit, ita mihi quæſo adſis in hora mortis meæ expellen-

pellendo à me omnem contrariam poteſtatem : Ora pro nobis peccatoribus , nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen.

2. Ave MARIA, &c. Sancta MARIA Mater DEI , ſicut Filius DEI , ſecundùm excellentiam inſcrutabilis ſapientiæ ſuæ tantâ te cognitione & claritate replevit, quòd præ omnibus ſanctis majorem SS. Trinitatis cognitionem habeas : ita in hora mortis meæ animam meam cognitione fidei ſic illuſtres, ne ullo errore aut ignorantiâ pervertatur : Ora pro nobis pecc: &c. Amen.

3. Ave MARIA , &c. Sancta MARIA Mater DEI, ſicut Spiritus ſanctus dulcedinem amoris ſui ita plenè tibi infudit , quòd poſt DEUM dulciſſima & benigniſſima ſis : ita in hora mortis dulcedinem divini amoris mihi infundas , ex quo omnis amaritudo mihi reddatur ſuaviſſima: Ora pro nobis peccatoribus , nunc , & in hora mortis noſtræ , Amen.

Orationes ad S. JOSEPHUM

I.

SAluto te, & veneror, ôBeatiſſime, & Fideliſſime Nutritie, & Tutor Domini mei JESU Chriſti: amo, & laudo te ô virginalis Sponſe puriſſimæ Virginis, & Matris DEI MARIÆ. Saluteris benedicaris, & lauderis, ô! ellecte ex millibus, & benedicte inter omnes viros, qui ſuper cunctos ſanctos in cælo, & in terra, gratiam apud DEUM inveniſti: cui ſimilis Author néque fuit, néque poſthac erit. Ad te ô Beatiſſime Joſeph confugio: ad te ſuſpiro, te rogo, ſis quæſo Advocatus, Mediator & Conciliator meus apud IESUM Dei Filium, qui honoris titulo tibi nihil negare poterit: Ad Te venio, recipe me miſerum Peccatorem, & impetra, mihi veram cordis contrtionem, integram Confeſſionem, vivam Fidem, Amorem ardentem, firmam Patientiam in adverſis, Perſeverantiam̃ in bono úsque in finem. Adſis mihi ò glorioſiſſime IOSEPH, in omni tentatione, afflictione, & miſeria, calamitate & anguſtia: adjuva me in pericu-

riculoso vitæ hujus decursu, fortiter pugnare, & feliciter vincere. Tandem, ut mihi famulo tuo, qui te in Advocatum meũ elegi & eligo, ac devotè veneror, per potentem interceſſionem tuam, beatum finem obtinere, àtque in agone cum Sponſa tua dulciſſima Virgine MARIA paternè viſendum accedere, protegere, & cuſtodire: Animam quoque meam aſſumere: eique JESUM Chriſtum Salvatorem mundi oſtendere digneris, enixiſſimè flagito & exopto. Amen.

II.

SAncte JOSEPH, Sponſe ſemper Virginis MARIÆ, & Pater mi, ac Patrone dilectiſſime: Ego NN. miſer ſceleſtiſſimus & indevotiſſimus, qui hucúsque malè vivendo plurimis ſubſidiis, & auxiliis divinæ gratiæ, quæ per potentem interceſſionem tuam à DEO obtinere potuiſſem, me ipſum defraudavi. Hodiè in me reverſus ſurgam, ibo, & proijciam me ad pedes Patris mei, & dicam ei: Pater peccavi in cælum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus; Recordor

felicis illius horæ, quâ te in Dominum, Patrem, & Advocatum meum elegi & ſuſcepi. Sed heu! recordor & illius, quòd te nunquam derelicturum, néque contra te unquam aliquid dicturum, aut facturum propoſui: ah! ah! quomodo abuſus fui ſancto Patrocinio tuo! deſerui te, quòd etiam, ſi tacere volo, tu nôſti, conſcientiâ meâ remordente. Indignus ſum vocari cliens tuus, nam ab horum numero mea peccata me ſeparant. O! S. Pater JOSEPH, quomodo in ſancto Sodalitio tuæ Fraternitatis tam diu perpeſſus es mancipium iniquitatis? Fateor, quia indignus ſum omni miſeratione, omni ſollicitudine, quâ erga me uſus es, & adhuc uteris. Sed, ô Pater mi S. JOSEPH, doleo, quòd à te me ſeparavi, doleo, quòd Sanctis tuis deſideriis non ſatisfeci, doleo, quòd pijs Patrociniis locũ non reliqui, & quia non doleo ſatis, doleã magis magísq;. O! Pater mi, quo fugiam? tuo Patrocinio indignum me reddidi, Chriſti Majeſtatem ſuſtinere nequeo, cujus miſericordiam toties contempſi, peccatis meis obſtan-

stantibus. A te ô sanctissime audiri, à Christo etsi misericorde, misericordiæ contemptor exaudiri non mereor, ideò ad te ô charum Præsidium meum accedo, quia te misericordiâ & pietate, omni virtute pleniſſimum dicit ipsum Evangelium, dum te justum prædicat: qui cuncta potes, & vales apud Dei Filium; quid enim tibi negabit Filius DEI, qui totis charitatis viſceribus te semper dilexit? quis Filius nisi ingratus æternæ mandat oblivioni paterna beneficia, multa per te, & fecit semper olim, & ob tui gratiam devotis tuis facere paratus in æternum erit. Hâc innixus confidentiâ, rogo te, subveni mihi miserrimo peccatori, & cur non subvenires peccatori? siquidem totum quod habes, gratiæ & gloriæ, imò, & hoc ipsum, quod es Pater Christi, Dominus, & vir Reginæ cœli, peccatoribus debes? Si non essent redimendi, nulla tibi nutriendi Redemptorem ratio. Noli ergò sanctissime Pater à me misero peccatore faciem avertere, sed ad me clementer respice. Noli ô juste, ô pie, Clientem ad te clamantem,

& vitam emendare cupientem à te revellere, noli nomini tuo, quod tibi cælitus datum eſt JOSEPH, notam inurere: toties iterat Evangelium nomen tuum JOSEPH, ut hoc nomen dignè in memoriam hominum vertatur: quonam modo dignè vertetur, niſi cùm invocatum fuerit piè à fidelibus, in tuornm Patrocinium ſubveneris, adjuveris, miſertus fueris? Noli nomen Auxiliatoris, ac Patris amittere, ſi námque hoc feceris Clienti tuo, quid facturus viderêris peregrino? Abſit à te ò potens Chriſti Coadjutor in terris, ut poſſint plus apudte contrà mevitiamea & peccata, quàm poſſint merita tua pro me: à te peto veniam, tu vide ne peream, per te acceſſum habeam ad MARIAM, ut propter te me recipiat, qui per te nutritus eſt nobis JESUS Chriſtus, obtine mihi ſpatium vitæ, & locum pœnitentiæ, & juva me, ut malam vitam meam dignè emendare valeam, ad tuam majorem lætitiam, Filii DEI & Matris eius honorem. Amen.

III. O Dul-

III.

O Dulciſſime Salvatoris noſtri Nutritie & Pater putative S. JOSEPH, in cujus manibus ille, qui totam mundi machinam pugillo concludit, velut in delitioſiſſimo quieſcebat toties lectulo, de cujus providentiâ & curâ, ille, qui panis vivus eſt, & qui aperiens manum ſuam implet omne animal benedictione, dátque omnibus eſcam in tempore opportuno, exquirebat cibum, alimoniam, & refectionem ſuam, ad cujus opem & tutellam, ille, qui omnium in ſe ſperantium eſt refugium, & turris fortiſſima, ut perſecutionem Herodianam evitaret, recurrebat. Suſcipe obſecro, mei miſerrimi peccatoris curam & Patrocinium: & effice, ut in cunctis meis neceſſitatibus, periculis, & anguſtiis in tuæ protectionis, & Patrocinij brachiis ſecurus conquieſcam. Dirige quæſo, greſſus meos, & cuſtodi per has vias Ægypti mundi hujus gradientem, ne ſicut ovis, quæ periit, à via mandatorum DEI, & æterna Patria aberrem. Quatenus te adjuvante ſic per hæc bona temporalia tranſeam, ut non amittam æterna. Amen.

IV. O

IV.

O JESU, MARIA, JOSEPH, creata & beata Trias, quæ regnans in terris, ſine intermiſſione ſuſpicis, adoras, & imitaris divinam Trinitatem regnantem in cælis. O Trias deificata, honorata,& amabilis, ſuſcipe Triadem potentiarum, quæ reſidet in me, intellectum meum, voluntatem, memoriámque meam: quò meliùs impendantur, & ad te glorificandam, & adorandam Trinitatem divinam, ob Majeſtatis Magnitudinem plurimùm admirandam. O JESU, MARIA, JOSEPH, hominum ſalutis amantiſſima Trias, ſalutem meam efficaciter operare. Atque ad hunc finem, JESU Salvator mi, offer cæleſti Patri tuo, ſacra vulnera tua, ſanguinémque pretioſum, quem amore mei profudiſti. O MARIA retege caſta ubera tua, & pro me oſtende DEO Patri, ſimul cum lacte Virgineo, quo verbum incarnatum, DEI Filium, lactâſti. O JOSEPHE! manus exhibe, & labores, quorum ope JESUS fuit enutritus. O Trias verè miſericors! impertire mihi præpotentis DEI benedictionem

JESUS

JESUS ſpargat in me, plenâ manu, ditiſſimas largitiones, & gratias, quas vitâ, mortéque ſuâ promeritus eſt, MARIA dulcedinem fructûs, quem ſacer ejus uterus genuit, mecum communicet. JOSEPH cumulet me benedictionibus terræ, reddendo me participem ſudorum, laborùmque ſuorum. JESUS, MARIA, JOSEPH conjunctim, ſanctas efficiant meas cogitationes, actiones, atque loquelas; quò gratiſſimus evadam, Patri, Filio, & Spiritui ſancto, fiámque tam beatus, ut, cùm in vita, tum in morte, tam in tempore, quàm æternitate, totus cedam in poteſtatem, JESU, MARIÆ, JOSEPH, Amen.

(o)

Ad SS. Angelos Oratio

Hieremiæ Drexelij.

O Vos omnes puriſſimi Spiritus, SS. Angeli DEI, reſpicite in me. Hìc ego jaceo gemens, & ſuſpirans, quia manus Domini tetigit me. Mors mihi in oculis eſt; mortalium jam nemo amplius, vos ſoli poteſtis ſuccurrere. Iudicii dies jam mihi eſt indictus. Eheu! comparendum eſt coram ſummo Judice, & reddenda ratio de cogitatis; dictis, factisque omnibus. Scitis ô beatiſſimæ mentes, me vilem terræ vermiculum quotidiè honori veſtro dicere aliquid, aut facere conſuetum eſſe. Ah! ne me deſerite in his ſummis anguſtiis meis, in hac ultima neceſſitate; à qua tota mihi pendet æternitas. Momentum illud jam imminet, in quo ſalus mea jam omnis, aut perenne ſtat exitium. Ah! juvate, & ante Regem Regum pro me ſupplices procumbite, & meum mihi, obſecro, conciliate Judicem. Sententiam ego nunc expecto ſupremam, vos impetrate, ut ea mitis ſit, & ad vitam. Mortem,

quam

quam ego meritus fuissem æternam, per vestras preces, meritáque liceat deprecari. Subvenite SS. Angeli DEI, subvenite, succurrite; jamjam aderit Iudex Christus IESUS. Miserere, ô JESU! miserere, per omnes SS. Angelos tuos te rogo, IESU miserere.

Ad omnes sanctos Cœlites,

Oratio D. Augustini.

O Pulchra! ò speciosa domus Domini! ego dilexi decorem tuum, ad te suspiro ex hoc meo exilio, ad te anhelat cor meum, dum deficit vita mea. O vòs Angeli, & Spiritus cæleſtes, qui estis exercitus DEI fortissimus, defendite me in hoc passu contra omnes laqueos Sathanæ. Liberate me à periculis hujus maris procellosi, & à Piratis, qui me persequuntur. Vos vestris orationibus deducite hanc conquassatam, & confractam cymbam ad portum quietis, ut illic vobiscum conquiescam. O Patriarchæ SS. ô Prophetæ luce divinâ illuminati! ô Apostoli, & Imperatores Domini glorioſi;

valen

valentiſſimi JESU Chriſti Martyres, ſapientiſſimi Doctores, humillimi Confeſſores, puriſſimæ Virgines, Conjuges, Viduæ, & Animæ omnes quæ Deo placuiſtis; adjuvate me & ſubvenite, ut ſalvus perveniam ad portum, ad quem vos perveniſtis. Peccavi, & ſicut ovis, quæ perijt, erravi, fateor, neque tamen diffido de bonitate optimi mei Paſtoris: ille me recipiet in ſuos humeros, & ad vos deducet, ut in veſtra Societate exultet anima mea gaudio inexplicabili, quo vos iam fruimini.

Verba moribundi.

DOmine Deus, ego ſum miſer ille, quem tu pro paterna bonitate tua creâſti, & per ignominioſiſſimam mortem Unigeniti tui de poteſtate inimici redemiſti. Tu ſolus, imperium, & Dominium in me habes me ſalvandi ſecundùm immenſam miſericordiam tuam in qua ſpero, & confido, & hâc ſpe munitus tibi morior.

Jeſu Fili DEI vivi, miſerere mei. In ma-

manus tuas, Domine, comendo Spiritum meum : tu enim solus redemisti me, tuo pretioso sanguine, DEUS meus, & salvator meus? Ostende mihi ô IESU, nunc faciem tuam, & salvus ero.

JESUS, MARIA, JOSEPH, sit meum ultimum suspirium vitæ meæ, JESUS MARIA, JOSEPH.

Suffragia

Pro Fidelibus Defunctis.

Ex Officio Palmeti cælestis, dieique Parthenij.

Hymnus.

O Vos fideles animæ,
In Christo Defunctorum,
Sed meritò prohibitæ,
Ab aditu cælorum.
Quàm vellem vobis dexteram,
Opémque præsentare,
Ut hinc ad cæli gloriam,
Possitis evolare.

O Magne Pater, nomine
Misericordiarum,
Facturas tuas respice,
Sed immemor irarum:
Pœnas sunt quidem meritæ,
Te tamen non negâruut:
Hinc locus sit clementiæ,
Ignosce, quod peccârunt.

O JESU clementissime,
O optime Salvator,
Tuo redemptis sanguine
Sis mitis liberator:
Indulge te amantibus,
Tuam benignitatem:
Pœnámque deprecantibus,
Ostende bonitatem.

O Consolator optime,
O dulcis Paraclête,
Hos tu desertos respice
Et indigos quiete;
In æstu hoc temperiem,
Veræque pacis bona,
Et post laborem requiem,
Æternam eis dona.

O Ma-

O Dulcis mater gratiæ,
Solatrix afflictorum,
Vim cohibe justitiæ,
Rigorem tormentorum:
Flammam voracem tempera,
Et mitiga dolores:
Incendium refrigera,
Et fini hos angores.

VOs Tutelares Genii,
Quorum sunt hi Clientes,
Quantùm vestri subsidii,
Sunt ipsi indigentes!
Piorum desideria.
Est vestrum excitare:
Optata refrigeria
Clientibus curare.

VOs omnes quóque Cælites,
In Regno triumphante,
Solamini hos milites,
In flamma hâc purgante:
Vestri in terris Socii
Cùm fuerint laborum,
Nunc & beati otii
Sors vocat, & bonorum.

O Fons miſericordiæ,
Summæque bonitatis,
Proſint piorum lacrymæ
Hoc igne cruciatis,
Locum tuæ juſtitiæ,
Agnoſcimus infernum,
Laudes tuæ clementiæ,
Hi cantent in æternum.

Praxis Quæſtuoſiſſima offerendi opera omnia ſatisfactoria Animabus in Purgatorio ex quinque efficacibus motivis per totidem actus.

Actus I.

Ex motivo miſericordiæ.

O Quàm horrenda, quàm acerba ſunt, mi DEUS, tormenta, quibus animæ in Purgatorio cruciantur! O quàm ingens tormentum eſt, beatificâ tuâ viſione, vel ad breve tempus, cùm eâ frui licet, privari! O in quantis anguſtiis verſantur Animæ illæ, quæ per ſpatium adeò diuturnum in tantis tormentis jacere debent!

Qua-

Quare ò Deus Animæ meæ, has omnes ob cauſas, omnem quam poſſum opem, his tam afflictis Animabus afferam. Orationes meas, jejunia, pœnitentias, & eleemoſynas, pro illis offero, &, ut ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium pro iisdem quàm frequenter offeratur, faciam per me ipſum & per alios procurabo. Applico illis omnes quas poſſum Indulgentias. Offero pro illis omnia mea opera ſatisfactoria; quidquid boni facturus ſum unquam vel patienter paſſurus mali, id omne his, Animabus hilari animo tranſcribo, eásdemque animas omnium ſuffragiorum, quæ unquam pro me in hac vita, vel pro me mortuo poſt hanc vitam fient, hæredes ſcribo, quantùm hoc ex majore tua gloria, divinæque voluntatis tuæ beneplacito â me poteſt fieri. O dulciſſime JESU, accipe hanc exiguam oblationem, meam, quam pro omnibus tibi dilectis facio, & omni poſſibili affectu facere ex corde deſidero.

Actus II.

Ex motivo gloriæ DEI.

O DEUS meus, quàm immensa est illa tua excellentissima dignitas & perfectio? meritò tibi debetur omnis honor & gloria. Ego paupercula animula nullum alium planè modum scio, quo procurare valeam, ut sacratissima tua Majestas perfectius laudetur, honorificetur, & ametur, quàm si operam dedero, ut plures animæ meâ operâ ex Purgatorio in cælum translatæ, ibi te eo modo, quo reliqui Spiritus beatissimi, laudent, honorificent & in æternum ament. Quare hanc ob causam, O DEUS, &c. *ut suprà.*

Actus III.

Ex motivo Gratitudinis.

O Quàm innumera sunt, quæ à te DEVS accepi, quotidiéque accipio beneficia, tanto amore in me indignissimum cumulata! Quam excogitabo rationem, quâ tanto Benefactori acceptissimum aliquod obsequium exhibere, debitásque gratias reponere valeam?

Ego

Ego paupercula animula nullū planè aliū modum scio, quo procurare valeam, ut pro tot & tantis beneficiis Sacratissima tua Majestas aliqualiter glorificetur, quàm si omni conatu allaborarvero, ut plures animæ ex Purgatorio meâ operâ in cælum transcriptæ, ibi DEVM Benefactorem meum liberalissimum pro tot effusis in me beneficiis noctes diésque meo nomine collaudent, glorificent, extollant, & nunquam interrumpendâ gratiarum actione prosequantur. Quare hanc ob causam, ô DEVS meus, &c. *ut suprà.*

Actus IV.

Ex motivo Contritionis.

O Quàm innumera sunt peccata mea, quibus indignissimè excellentissimam Majestatem tuam offendi, immensam bonitatem tuam contumeliosè despexi, te ô DEVS, libentissimum Benefactorem neglexi & vilipendi. O quàm strictè teneor, ut hunc tuum honorem sic à me læsum meliore modo, quo possum, reparem ac restituam: cupio quidem in compensationem tot ac tanto-

rum delictorum meorum efficere, ut ſanctiſſima tua Majeſtas quàm maximè laudetur, honorificetur,& ametur. Ego paupercula animula, nullum planè alium modum ſcio, quo procurare valeam, ut ſacratiſſima tua majeſtas perfectiùs laudetur, honorificetur,& ametur,quàm ſi operam dedero, ut plures animæ meâ operâ ex Purgatorio in cælum translatæ, ibi te eo modo, quo reliqui Spiritus beatiſſimi, laudent, honorificent, & in æternum ament. Quare hanc ob cauſam,ô DEVS, &c. *ut ſupra.*

Actus V.

Ex motivo amoris Chriſti.

O Mi dulciſſime JESV, qui dixiſti: quod uni feciſtis ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis: quomodo me continere potero, quò minùs omni mihi poſſibili modo animas ex Purgatorio eripiam, quandoquidem inteſligam, hoc illis exhibitum beneficium, tibi non minùs gratum fore, quàm ſi tibi feciſſem, quod illis fecero. Quare hanc ob cauſam,ô DEVS, &c. *ut ſupra.*

En

En pietatis Exercitium! cui si vaces, ô Sodalis, magnum tibi promittimus impensæ operæ emolumentum. Nimirùm multorum sententia est, fieri non posse, ut is malè pereat, cuius beneficio, plures animæ è tantis ærumnis emerserint. Certè ita nobis persuasum fuit semper, beatas illas animas in suos Benefactores omne humanitatis genus exercituras. Deinde quantam poterunt opem ijsdem porrecturas, si fortè contingat ipsos paribus involui supplicijs; neque verò desituras prius Deum precibus sollicitare, quàm eos in portum salutis adduxerint. Nunc ipse Judex esto, possintne utiliùs impendi preces Christianæ charitatis quàm animabus, quæ igne torquentur, eximendis? Persolve igitur devotè ac fideliter potissimùm pro tuis defunctis Consodalibus juxta præscriptas tibi superiùs Regulas sequens Officium Defunctorum.

(o)

OFFICIUM PARVUM
Pro
DEFUNCTIS.

DOmine JESU Christe, Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium Defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu : libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant inobscurum; sed signifer sanctus Michaël repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini ejus.

AD MATUTINUM.

SAncta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.

℣. Requiem æternam dona eis Domine

℟. Et lux perpetua luceat eis.

Hymnus.

DIes iræ, dies illa
Solvet sæclum in favilla:
Teste David cum Sybilla

Quan-

Quantus tremor est futurus,
Quando Judex est venturus.
Cuncta stricte discussurus.

℣. *Audivi vocem de cælo dicentem mihi.*

℟. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

Antiph. De temporibus & momentis fratres non indigetis, ut scribamus vobis: ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Oremus.

FIdelium DEUS omnium Conditor & Redemptor animabus famulorum famularúmque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis, & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

AD PRIMAM.

Sancta, & Salubris, &c. *ut suprà.*

℣. Requiem æternam, &c. *ut suprà.*

Hy-

Hymnus.

TVba mirum ſpargens ſonum
Per ſepulchra Regionum,
Coget omnes ante thronum.
Mors ſtupebit, & natura,
Cum reſurget creatura,
Judicanti reſponſura.

℣. *Audi vocem* &c. *ut ſuprà.*

Antiph Ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba DEI deſcendet cælo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.

℣. *Domine exaudi*, &c.

Oratio. Fidelium DEVS, &c.

AD TERTIAM.

Sancta, & ſalubris, &c. *ut ſuprà.*

℣. Requiem æternam, &c.

Hymnus.

LIber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Undè mundus judicetur.
Judex ergo cum ſedebit,
Quidquid latet apparebit
Nil inultum remanebit.

Quid

Quid sum miser tunc dicturus?
Quem Patronum rogaturus?
Cùm vix justus sit securus.

℣. *Audivi vocem*, &c. *ut suprà.*

Antiph. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quid locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die judicij.

℣. *Domine exaudi*, &c.

Oratio. Fidelium DEUS, &c.

AD SEXTAM.

Sancta & Salubris, &. *ut suprà.*

℣. Requiem æternam, &c.

Hymnus.

REx tremendæ Majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me fons pietatis.
Recordare JESU pie,
Quòd sum causa tuæ viæ:
Ne me perdas illa die.
Quærens me sedisti lassus:
Redemisti crucem passus:
Tantus labor non sit cassus.

℣. *Audivi vocem* &c.

Antiph. Ego

Antiph. Ego ſum reſurrectio & vita. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet, & omnis qui vivit, & credit in me non morietur in æternum.

℣. Domine exaudi, &c.

Oratio. Fidelium DEVS &c.

AD NONAM.

Sancta, & Salubris, &c.

℣. Requiem æternam, &c.

Hymnus.

JUſte Judex ultionis,
Donum fac remiſſionis,
Ante diem rationis.
Ingemiſco, tanquam reus:
Culpâ rubet vultus meus,
Supplicanti parce DEUS.
Qui Mariam abſolviſti,
Et latronem exaudiſti,
Mihi quoque ſpem dediſti.

℣. *Audivi vocem*, &c.

Antiph. Hæc eſt voluntas Patris mei, qui miſit me: ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

℣. Do-

℣. *Domine exaudi*, &c.
Oratio Fidelium DEUS, &c.

AD VESPERAS.

Sancta, & Salubris, &c. *ut ſuprà.*
℣. Requiem æternam, &c.

Hymnus.

PReces meæ non ſunt dignæ:
Sed tu bonus fac benignè,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præſta,
Et ab hædis me ſequeſtra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

℣. *Audivi vocem* &c.

Antiph. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non ejiciam foras.

℣. *Domine exaudi*, &c.
Oratio. Fidelium DEUS, &c.

AD COMPLETORIVM.

Sancta, & Salubris, &c. *ut ſuprà.*
℣. Requiem æternam, &c.

Hy-

Hymnus.

ORo ſupplex & acclinis,
Cor contritum quaſi cinis,
Gere curam mei finis,
Lachrymoſa dies illa,
Quâ reſurget ex favilla
Judicandus homo reus.
Huic ergò parce DEVS,
Pie JEſu Domine,
Dona eis requiem, Amen.

℣. *Audivi vocem*, &c.

Antiph. Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii DEI. Et procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii.

℣. *Domine exaudi*, &c.

Oratio Fidelium DEVS, &c.

COMMENDATIO.

OMagne Pater Domine,
Miſericordiarum,
JESV redemptis ſanguine
Sis immemor irarum.
Indulge te amantibus,
Tuam benignitatem:
Pœnaſque deprecantibus
Concede libertatem, Amen.

LI

LITANIÆ PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS.

KYrie eleis.
Christe eleis.
Kyrie eleis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de Cælis DEUS, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miserere nobis.
Spiritus sancte DEUS, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus DEUS, Miserere nobis.
S. MARIA, Ora pro fidelibus defunctis.
S. DEI Genitrix, Ora pro fidelibus defunctis.
S. Virgo Virginum, Ora pro fidelibus defunctis.
S. Michaël, Ora pro fidelibus defunctis.
Omnes SS. Angeli & Archangeli, Orate pro fidelibus defunctis.
Omnes SS. Beatorum Spirituum Ordines, Orate pro fidelibus defunctis.

S. Joannes Baptiſta, Ora pro fidelibus defunctis.
Omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro fidelibus defunctis.
S. Petre, ora pro fidelibus defunctis.
S. Paule, ora pro fidelibus defunctis.
S. Joannes ora pro fidelibus defunctis.
Omnes SS. Apoſtoli & Evangeliſtæ, orate pro fidelibus defunctis.
S. Stephane, ora pro fidelibus defunctis.
S. Laurenti, ora pro fidelibus defunctis.
Omnes SS. Martyres, orate pro fidelibus defunctis.
S. Gregori, ora pro fidelibus defunctis.
S. Ambroſi, ora pro fidelibus defunctis.
S. Auguſtine, ora pro fidelibus defunctis.
S. Hieronyme, ora pro fidelibus defunctis
Omnes SS. Pontifices & Confeſſores, orate pro fidelibus defunctis.
Omnes SS. Doctores, orate pro fidelibus defunctis,
Omnes SS. Sacerdotes & Levitæ, orate pro fidelibus defunctis,
Omnes SS. Monachi & Eremitæ, orate pro fidelibus defunctis.
S. Maria Magdalena, ora pro fidelibus defunctis.

S. Ca-

S. Catharina, ora pro fidelibus defunctis.
S. Barbara, ora pro fidelibus defunctis.
Omnes SS. Virgines & Viduæ, orate pro fidelibus defunctis.
Omnes SS. & Sanctæ Dei, Intercedite pro eis.
Propitius esto, Parce eis Domine.
Propitius esto, Exaudi eos Domine.
Ab omni malo, Libera eos Domine.
Ab ira tua,
A rigore justitiæ tuæ.
A potestate diaboli,
A rodente verme conscientiæ,
A diuturna tristitia,
A crudelibus flammis,
Ab intolerabili frigore,
Ab horrendis tenebris,
A terribili planctu & ejulatu,
Per admirabilem Conceptionem tuã.
Per sanctam Nativitatem tuam.
Per dulcissimum Nomen tuum,
Per Baptismum & S. Jeiunium tuum,
Per profundissimam humilitatem tuam.
Per promptam obedientiam tuam.
Per infinitum amorem tuum,

} Libera eos Domine.

Per angores & moleſtias tuas,
Per ſanguineum ſudorem tuum,
Per captivitatem tuam,
Per flagellationem tuam
Per coronationem tuam
Per bajulationem crucis tuæ
Per amaram mortem tuam
Per ſanctiſſima vulnera tua,
Per crucem & acerbiſſimam paſſionem tuam,
Per ſanctam Reſurrectionem tuam,
Per admirabilem Aſcenſionem tuam,
Per Adventum Spiritûs S. Paraclêti,
In die Judicij
Peccatores, Te rogamus, audi nos.

Libera eos Domine.

Qui MARIAM abſolviſti, & latronem exaudiſti,
Qui ſalvandos ſalvas gratis,
Qui claves habes mortis & inferni,
Ut parentes, propinquos, & benefactores noſtros à pœnis inferni eripere digneris.
Ut omnes fideles defunctos ab æterna damnatione liberare digneris
Ut illorum, quorum ſpecialis in terra memoria non habetur, miſereri digneris

Te rogamus, audi nos.

Ut

Ut eis omnibus parcere, & indulgere digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut desideria ipsorum adimplere digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut in electorum consortium eos recipere digneris, Te rogamus audi nos.
Rex tremendæ Majestatis, Te rogamus, audi nos.
Fili DEI, Te rogamus audi nos.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Dona eis requiem.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Dona eis requiem.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Dona eis requiem sempiternam.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison,
Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

℣. *A porta inferi.*
℟. *Erue Domine animas eorum.*
℣. *Domine exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Oremus.

ANimabus quæſumus Domine, famulorum, famularúmque tuarum miſericordiam concede perpetuam: ut eis proficiat in æternum, quod in te ſperaverunt & crediderunt. Per Dominum, &c.

℣. *Requieſcant in pace.*

℟. *Amen.*

Abſolutio

Pro Fidelibus Defunctis.

NOn intres in judicium cum ſervis tuis Domine, quia nullus apud te juſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum ei tribuatur remiſſio. Non ergò eos quæſumus, tua judicialis ſententia premat, quos tibi vera ſupplicatio fidei Chriſtianæ commendat: ſed gratiâ tuâ illis ſuccurrente, mereantur evadere judicium ultionis, qui dum viverent inſigniti ſunt ſignaculo ſanctæ Trinitatis. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæcalorum.

℟. *Amen.*

Libe-

Libera me Domine. *ut in Officio Defunctorum ante Laudes.*

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster, &c.
℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *A porta inferi.*
℟. *Erue Domine animas eorum.*
℣. *Requiescant in pace.*
℟. *Amen.*
℣. *Domine exaudi Orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

ABsolve quæsumus Domine, Animas famulorum, famularúmque tuarum, & omnium fidelium defunctorum, ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter sanctos & electos tuos, resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum.

℟. *Amen.*

℣. *Requiem æternam dona eis Domine.*

℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

℣. *Requieſcant in pace.*

℟. *Amen.*

Notanda

De Officio, & Miſſis Defunctorum.

1.

OFficium Defunctorum peragitur ſedendo, quod ad luctum, & mœſtitiam pertinet, ſic enim de ſanctis illis mulieribus, mortem Chriſti lugentibus canit Eccleſia: *Mulieres ſedentes ad monumentum lamentabantur flentes Dominum.* Luctus enim & mæror nonſolùm deijcit animum, ſed etiam corpus, & adimit ſtandi alacritatem. *Paul. Mar. Quart.*

2. Pſalmi poſiti in fine Veſperarum, & Laudum non dicuntur in die Commemorationis

rationis omnium Fidelium defunctorum. Neque in Depositione defuncti, si tres nocturni dicantur. Neque in officio duplici: unde semper omittuntur dicti Psalmi, quandocunque dicitur Responsorium: *Libera me.* quod non modò dicitur in prædicta Commemoratione, sed etiam quandocunque dicuntur novem lectiones *Gavantus sec. 9. de Officio Defunct.*

3. In die depositionis, tertio, septimo, trigesimo, & anniversario, duplicantur Antiphonæ, & in fine Psalmorum dicitur: *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis*, etiamsi pro uno tantùm fiat Officium. *Gavantus.*

4. Versus, qui post Psalmos dicuntur, mutantur in numerum singularem, si pro uno dicatur officium sicut & oratio sequens; reliqua in toto Officio non mutantur.

5. Orationes tres dicuntur sub una conclusione diverso modo, ac in Missa, in qua prima Oratio concluditur, & duæ aliæ per modum .commemorationis adduntur. Sed in Officio Commemorationes non sunt, cùm Antiph. & V.

non

non habeant, & ideò uniusOrationis rationem habent. Unde in oratione: *Fidelium DEUS omnium &c.* hæc obſervanda ſunt; nam cùm dicitur conjuncta cum aliis duabus orationihus, *DEUS qùi inter Apoſtolicos &c.* Et *DEUS veniæ largitor &c.* Concluditur cum hac concluſione: *Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum.* In die verò commemorationis omnium fidelium defunctorum, & quando hæc ſola tantùm dicitur oratio, concluditur: *Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen. Gavantus & Corſettus.*

6. Die Depoſitionis & anniverſario ſummi Pontificis, Cardinalis, Epiſcopi & Prælati, etiam Regularis, dicitur prima Miſſa, quia quæ rarò adhibentur, pretioſa reputantur, neque quotidianâ vileſcunt conſuetudine. Pro Sacerdote verò inferioris Ordinis, juxta laudabilem conſuetudinem in pleriſque Eccleſiis majoribus Almæ Urbis, congruentiùs dicitur Miſſa ſecunda, mutatâ Oratione; ſi tamen prima dicatur, favet Rub. Miſſ. *Corſettus.*

7. Si quis abſens longè à nobis moriatur,

tur, si proximè obierit, Missa pro eo dici potest primâ vice, ut in die tertio, omisso tamen verbo *Tertium*. *Gavantus par. 4.*

8. Si Missa pro defunctis dicenda sit inter tertium & septimum, vel inter septimum & trigesimum, Missa quotidiana, & non una ex suprà dictis dici debet. *Lohner p. 4. §. 7. n.* 1.

9. Anniversaria, quæ fiunt ubique pro defunctis extra diem præcisum annuum cum propria Missa, non incongruè fiunt, licèt laudabilius esset Missas dici, ut in quotidianis Defunctorum, cum propriis orationibus. *Corsettus.*

10. Unica Oratio dicitur in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, in die Depositionis & tertio, septimo, trigesimo, & anniversario defuncti, id est, in primo anniversario post obitum, non autem in aliis per annum occurrentibus, in quibus semper dicuntur tres Orationes; nisi dicatur solemniter cum Pompa vel apparatu extra ordinario, vel concursu populi invitati, & tunc dicitur tantùm

tùm unica Oratio. *Manigart. p. 2. c. 2. de Benedictionibus.*

11. In tertio, ſeptimo, trigeſimo & anniverſario die Papæ, Card. Epiſcopi, & Sacerdotis, dicitur Oratio, quæ in die Depoſitionis.

12. Oratio in tertio, ſeptimo, & trigeſimo non debet dici iis diebus, qui inter illos occurrunt, ſed tantùm diebus prædictis numeratis à die obitùs, vel ſepulturæ, nam aliter eſſet mendacium dicere tertium, ſeptimum, trigeſimum, cùm eſſet quintus. *Corſettus.*

13. Si in Miſſa pro defunctis dicendæ ſunt pluresOrationes, tum ſi Miſſa dicatur pro Sacerdote, primo loco dicitur Oratio: *Præſta quæſumus.* Si pro alio defuncto: *Inclina Domine.* Si pro pluribus: *Animabus*, aut *Deus cui Proprium.* ſecunda & tertia erunt, quæ ſecundo & tertio loco ponuntur in Miſſa quotidiana defunctorum, & Oratio *Fidelium*, ſemper dicitur, & eſt ultima in his Miſſis. *Lohner p. 4. &c.*

14. Poſt finem Miſſæ peragitur abſolutio, in qua communiter dicitur oratio

Abſol-

Absolve, etiam in Prælatorum, & Sacerdotum Absolutione, addito dignitatis nomine. *Ita Gavan.* vel juxta Corsettum dicatur Oratio, quæ dicta est in Missa, vel alia conveniens, quæ tamen non sit ex collectis secretis. Et si Officium fiat pro pluribus defunctis Ortatio (*Absolve*, quæ habetur in Psalmis Gradualidus, uti superiùs jam posita est) & versus dicuntur in numero plurali. *Gerl. Vinitor.* In obitu verò defuncti dicitur Oratio: *DEUS cui proprium est misereri, &c.* Si defunctus fuerit Sacerdos in Oratione dicatur: *Pro anima famuli tui Sacerdotis, quam hodie, &c Corsettus & Rit. Rom.*

15. Dictâ Oratione. *Non Intres*, in tono lectionis. Finitóque Responsorio *Libera me Domine*, post Kyrie eleison celebrans dicit intelligibili voce *Pater noster.* & secretò prosequendo reliqua, accipit Aspersorium de manu ministri, & factâ altari reverentiâ, procedens per latus suum dexterum, & circumiens lecticam, aspergit illam ter à parte dextra, & ter à sinistra, non verò caput & pedes, sed laterales partes tantùm. Postquam celebrans

ad

ad locum ſuum redierit reddito ibi aſperſorio, accipit Thuribulum, & ſimiliter circumiens eodem modo, quo aſperſerat, incenſat, ter nimirûm ab utraque parte laterali lecticam. Poſt Incenſationem reddito Thuribulo debitam facit altari reverentiam, & ſtans dicit. *Et ne nos inducas in tentationem*, cum reliquis verſiculis, & Reſponſoriis, acOratione *Abſolve*, ut ſuprà. Poſtremò facit in fine manu dextra ſignum Crucis ſuperLecticam dicens: *Requiem æternam dona ei*, vel *eis Domine &c.*. Cantores dicunt: *Requieſcant in pace.* licèt pro uno fiat abſolutio. *Gerlacus Vinitor, & alii.*

16. De Abſolutione ſolemni facienda in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, ubi multi circuire ſolent ſepulchra illud obſervandum eſt, ut ultima abſolutio fiat ad lecticam mortuorum cum ℟. *Libera me* longiori, & Oratione *Abſolve*, in numero plurali, ut ſuprà. Poſt alias verò Orationes non dicitur *Requiem &c.* niſi poſt ultimam Abſolutionem. *Gav. Corſettus & alii.*

17. Alexander VII. & Clemens IX. ſpe-

speciali decreto vetuerunt, ne in duplicibus, Missæ votivæ legantut, concesserúntque, ut indulgentiæ, quæ alioqui non nisi per Missam de Requiem in Altari privilegiato obtineri poterant, etiam per Missam de Festo occurrente dictam impetrari queant. Ita infrà Octavam Corporis Christi, Missæ de *Requiem* pro defunctis prohibitæ sunt novo decreto Clementis X. *Tobias Lohner de Missa in particulari &c.*

18. In Dominicis & Festis, quæ non sunt primæ classis, Missam insepulto, hoc est, præsente corpore in Ecclesia, concessit S. Rituum Congregatio 25. Maii 1603. quod Arnaudus intelligendum putat de solemni Missa tantùm non de privatis, quæ etiam præsente corpore dici non possunt in Dominicis aut Duplicibns. *Tobias Lohner.*

19. Quando omisso sacro funebri celebratur festivum, non opus est, ut collecta funebris inseratur, etiam præsente corpore; imò noc licere quidem in duplicibus adversus Navarr. docent Gavantus & Fraxinellus apud P. Gobat n. 625. *Tobias Lohner.*

20. Si

20. *Si* Commemoratio Fidelium defunctorum incidat in diem Dominicam, eâdem die celebratur tam in Clero, quàm in populo. *Ioh. Henr. Manigart.*

FASCICVLVS XI.

In quo

Quatuor Initia ad impetrandam frugum terræ prosperitatem in Processionibus cantanda.

Statio prima versùs Occidentem.

Evangelium primum.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

℣. *Initium S. Evangelij secundùm Matthæum.*

℟. *Gloria tibi Domine.*

LIber generationis JESU Christi Filii David, Filij Abraham. Abraham genuit Isaac: Isaac autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus. Judas autem genuit Phares & Zaram

Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esrón: Esron autem genuit Aram: Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson: Naasson autem genuit Salmon: Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth: Obed autem genuit Jesse: Jesse autem genuit David Regem. David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Urîæ. Salomon autem genuit Roboam: Roboam autem genuit Abîam: Abîas autem genuit Asa: Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram: Joram autem genuit Ozîam: Ozîas autem genuit Joathan: Joathan autem genuit Achaz: Achaz autem genuit Ezechîam. Ezechîas autem genuit Manassen: Manasses autem genuit Amon: Amon autem genuit Josîam: Josîas autem genuit Jechonîam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis, Jechonîas genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel: Zorobabel autem genuit Abiud: Abiud autem genuit Eliazim. Eliazim autem genuit Azor: Azor autem genuit

Sadoch: Sadoch autem genuit Achim: Achim autem genuit Eliud: Eliud autem genuit Eleâzar. Eleâzar autem genuit Mathan: Mathan autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Joſeph, Virum MARIÆ, de qua natus eſt JESUS, qui vocatur Chriſtus.

Poſt quodlibet Evangelium dici poteſt immediatè ſequens Oratio.

PEr hos ſermones S. Evangelij Domini noſtri JESU Chriſti indulgeat nobis Dominus DEVS univerſa delicta noſtra, ac defendat, cuſtodiat, & protegat omnes vineas, & agros atque fructus noſtros ab omnibus infeſtationibus Dœmonum, Incantatorum maleficijs, & læſionibus tempeſtatum. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

℣. *Dominus dabit benignitatem.*
℟. *Et terra noſtra dabit fructum ſuum.*
℣. *A Peſte, Fame, & Bello.*
℟. *Libera, &c.*
℣. *A ſubitanea, & improviſa morte.*
℟. *Libera, &c.*
℣. *A Fulgure, & tempeſtate.*
℟. *Libera, &c.*

℣. *Ut*

℣. *Ut fructus terræ dare & conservare digneris.*

℟. *Te rogamus audi nos.*

℣. *Ut à finibus istis, grandines à Dæmonibus, qualitercunque excitatæ fuerint, in aquam benedictam reducere digneris.*

℟. *Te rogamus, &c.*

℣. *Ut Regionem hanc, à grandinibus præservare, liberare, & tueri digneris.*

℟. *Te rogamus, &c.*

℣. *Ut à Possessionibus, Vineis, & arboribus istis, omnes grandines elongare, & dispergere, destruere, & annihilare digneris.*

℟. *Te rogamus audi nos.*

℣. *Ut nos exaudire, &c.*

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEUS, ac misericors Pater, aspice precamur, nostram quotidianam indigentiam, & messem sufficientem victui nostro, benigniter elargire: magnifica super nos nomen sanctum tuum, & super agros, & vineas nostras copiosissimam tuam bene ✝ dictionem infunde; ut arbores, cunctique labores famulorum tuo-

rum, plenè fructificent. Averte pijſſime DEUS, à finibus noſtris, noxia ſydera, tempeſtates, frigora, grandines, imbres, aquarum alluviones, & quidquid mali, quod humanis ſubſidijs nocere poſſit. Per Chriſtum &c. ℟. Amen.

Benedictio DEI Omnipotentis Patris, & Fi✝lij, & Spiritus ſancti, deſcendat ſuper agros, vineas, fruges, & arbores iſtas, ac ſuper nos omnes, & maneat ſemper. ℟. Amen.

Statio ſecunda verſùs Septentrionem.

Evangelium II.

℣. *Dominus vobiſcum, &c.*

℣. *Initium S. Evangelij ſecundùm Marcum.*

℟. *Gloria, &c.*

INitium Evangelij JESU Chriſti Filij DEI, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto: parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Fuit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœniten-

nitentiæ in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ Regio, & Jerosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordânis Flumine, confitentes peccata sua. Et erat Joannes vestitus pilis Cameli, & Zona pellicea circa lumbos ejus: & locustas, & mel silvestre edebat. Et prædicabat dicens: venit fortior me post me: cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizavi vos aquâ: ille verò baptizabit vos Spiritu sancto.

Per hos sermones, &c. ut suprà cum suis versiculis & Responsoriis, præter Orationem, quæ dicitur, ut sequitur.

Oremus.

PIetatem tuam, quæsumus Omnipotens DEUS; ut has fruges, quas aëris, & pluviæ temperamento nutrire dignatus es: Bene † dictionis tuæ imbre perfundas: tribue Domine, populo tuo, de tuis muneribus tibi semper rependere gratias: & à sterilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus replendo averte; ut egenus, & dives, æter-

naliter laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio DEI Omnipotentis, *ut supra.*

Statio tertia versùs Orientem.

Evangelium III.

℣. *Dominus vobiscum &c.*

℣. *Initium S. Evangelij secundùm Lucam.*

℟. *Gloria tibi Domine.*

FUit in diebus Herodis Regis Judææ Sacerdos quidam nomine Zacharîas, de vice Abîa, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth. Erant autem justi ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querelâ. Et non erat illis Filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem, cum Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine Vicis suæ ante DEUM, secundùm consuetudinem Sacerdotij, sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in templum Domini. Et omnis

mnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris Altaris incensi. Et Zacharîas turbatus est videns, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: ne timeas Zacharia: quoniam exaudita est deprecatio tua: Et uxor tua Elisabeth pariet tibi Filium, & vocabis nomen ejus Joannem, & erit gaudium tibi, & exultatio: & multi in Nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, & vinum & siceram non bibet: & Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: & multos filiorum Israël convertet ad Dominum DEUM ipsorum. Et ipse ptæcedet ante illum in Spiritu & virtute Elîæ: ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum: parare Domino plebem perfectam.

Per hos sermones, &c. ut suprà.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, supplices te deprecamur, ac petimus, ut misericor-

diâ tuâ jugiter nobis concedas ſufficientem meſſium copiam, fructuum omnium largitatem tribuas; vinearum quoque ſubſtantiam abundantem, arborum fœtus, proventúsque omnium rerum dones; atque ab ipſis omnibus peſtiferum ſydus, tempeſtatis procellam, grandinis fragorem, & univerſa noxia amovere digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum

℟. Amen.

Benedictio DEI omnipotentis, *&c. ut ſuprà.*

Statio Quarta versùs Meridiem.

Evangelium IV.

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

℣. *Initium S. Evangelij ſecundùm Ioannem.*

℟. *Gloria tibi Domine.*

IN Principio erat verbum, & verbum erat apud DEUM, & DEUS erat verbum. Hoc erat in Principio apud DEUM. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat, & vita erat lux homi-

minum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à DEO, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quot quot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri, his, qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex DEO nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, & habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

Per hos ſermones, &c. ut ſuprà.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui molem mundi ex nihilò pendentem gubernas, & ad victum humani generis, agros excolere juſſiſti : miſericordiam tuam ſupplices exoramus, ut quidquid in hos agros ſalùbris ſeminis ſatum, atque plantatum eſt ; reſpectu tuæ clementiæ proſpicias, & aëris temperiem moderare digneris ; ut non grando ulla ſuccîdat, non turbo tempeſtatis detruncet, non aquarum inundantia abducat, non aëris intemperies exterminet, ſed reſecato, atque abſumpto omnium tribulorum, ſpinarúmque ſqualore efficias fruge fæcundas, & ad temporis opportunitatem perfectè matureſcere tribuas, ut nos famuli tui, repleti omnibus frugibus tuis, in tuo nomine de tua gratia ſemper exultemus. Per Chriſtum, &c. ℟. Amen.

Benedictio DEI Omnipotentis, &c. *ut ſuprà.*

Poteſt etiam locò prioris Orationis, ſequens Oratio & Benedictio dici. Ore-

Oremus.

A Domo tua, Domine, & â nobis famulis tuis, à Parochiâ & plebe istâ, à fructibus & animalibus nostris, & â cuncto populo Christiano, omnes spiritales nequitiæ repellantur; & aërearum discedat malignitas tempestatum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Cælesti Benedictione, benedicatur, custodiatur, & conservetur locus iste; & in eo habitantes, agri, vineæ quôque & terræ fructus. In nomine Pa † tris, &c.

℟. Amen.

Notandum.

De sanctissimo Sacramento processionaliter deferendo, illud, quòd in compendio sacrorum Rituum Gerlaci Vinitoris cap. 4. §. 2. de Processi. constitutum sic legitur: Ad majorem honorem sanctissimi Sacramenti statuimus, quod deinceps ipsum sanctissimum Sacramentum nullatenus visibiliter in quibuscunque monstrantiis ponatur, aut deferatur, nisi in sanctissimo festo corporis Christi cum sua Octava, & extra hujusmodi festum cum sua Octava, semel in anno, in qualibet civitate,

aut

aut oppido, ſeu Parochia, vel ex ſingulari indulto Ordinarij aut alias propace, vel aliâ neceſſitate imminente, ex indiſpoſitione Rempublicam prægravante: & tunc cum ſumma reverentia atque devotione. Concil. Prov. Colon. ſub Nicolao Cuſano Cardinale.

Quando igitur SS. Euchariſtiæ Sacramentum non defertur: accipiatur crux, & ſignentur eodem modo quatuor orbis partes cum ipſa &c. Corſettus cap. XVI. de Proceſſ. num. XXVI.

In Feſto autem ſacratiſſimi Corporis Chriſti poterunt ſequentes verſiculi & Reſponſoria cantari.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit, &c.*

℣. *A Fulgure & tempeſtate.*

℟. *Libera, &c.*

℣. *A ſubitanea & improviſa morte.*

℟. *Libera, &c.*

℣. *Ab Hæreſi, Peſte, Fame, bello, & ab omni malo.*

℟. *Libera, &c.*

℣. *Ab inſidiis diaboli.*

℟. *Libera*

℟. *Libera, &c.*
℣. *A Grandine & Tonitru.*
℟. *Libera, &c.*
℣. *Ab Uredine & Pruina.*
℟. *Libera, &c.*
℣. *A morte perpetua.*
℟. *Libera, &c.*
℣. *Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris.*
℟. *Te rogamus &c.*
℣. *Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas.*
℟. *Te rogamus &c.*
℣. *Ut fructus terræ & dare & conserva-re digneris.*
℟. *Te rogamus &c.*
℣. *Ut nos exaudire digneris.*
℟. *Te rogamus, &c.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.*
℟. *Et Filius iniquitatis non apponat nocere nobis.*
℣. *Domine non secundùm peccata nostra facias nobis.*
℟. *Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.*
℣. *Domine exaudi Orationem meam.*

℟. Et

℟. *Et clamor meus, &c.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum, &c.*

Oremus.

ADomo tua quæsumus Domine, spiritales nequitiæ repellantur, & aëreatum discedat malignitas tempestatum. Per Christum Dominum nostrum.

℟. *Amen.*

Cælesti benedictione benedicatur, custodiatur, & conservetur locus iste, & in eo habitantes, agri, quoque & terræ fructus. In Nomine Patris ✝ & Filij & Spiritûs Sancti. ℟. *Amen.*

NB. *Non potest deferri Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti Sacerdotum humeris, sed manibus tantùm Celebrantis, non obstante quâvis contrariâ consuetudine, quam abusum esse declaravit sacra Rit. Congreg. apud Barth. Corsettum. de Festo SS. Trin. cap. XI. num. IX.*

FA-

FASCICULUS XII.

In quo

Conjurationes contra tempestates.

Cùm primùm videbitur tempustempestuosum levari, Sacerdos cum superpelliceo & stolâ, benedicat aquam, & sal in hunc modum.

† IN Nomine Domini nostri JESU † Christi.

Adjutorium nostrum in nomine Domini:

Qui fecit cælum & terram.

EXorcizo te creatura salis, & aquæ in nomine Domini nostri JESU Christi Nazareni, Filij *DEI* vivi, ut sis purgatio, & purificatio in his locis, in quibus aspersa fueris, ad effugandos immundos, & erraticos spiritus, omnémque nefariam vim diaboli pellendam, & omnes figuras, & minas phantasmatis Sathanæ exter-

exterminandas, & fulgura, & ſydera, quæ mitti videntur in domos, arbores, agros, poſſeſſiones, turres, vel quamcúmque habitationem: non hominibus, aut pecoribus, aut frugibus noceant; ſed abſcedant, & fugiant per invocationem nominis Domini noſtri JESU Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Et mox aſpergat aquam benedictam contra tempeſtatem in modum crucis.

Benedictio pulveris tormentarii.

℣. *Adjutorium noſtrum, &c.*
℟. *Sit nomen Domini benedictum. &c.*

Oremus.

BEne † dic Domine, hos pulveres tormentarios, benedictione cæleſti, & aſſiſtat ſuper eos virtus Spiritûs ſancti, ut ubicunque hi pulveres contra aëreas poteſtates, & dæmoniacas fraudes accenſi fuerint, ac eorum fragor inſonuerit, procul recedat inſidiantium umbra phantaſmatum, percuſſio fulminum, Læſio tonitruum, calamitas tempeſtatum, omnis-

nisque Spiritus procellarum, ut qui fragorem horum pulverũ audierint, deprecantes Dominum Cœli pro remissione scelerum suorum, pro frugibus, & pro omnibus necessarijs suis intercedente beatissimâ Virgine MARIA Dei Genitrice, & S. JOSEPHO, omnibúsque sanctis, impetrare, quæ petierint, mereantur Salvator mundi DEUS, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivis, & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Aspergantur pulveres aquâ Benedictâ

Conjuratio I.

In Nomine Pa✝tris, & Fi✝lij, & Spiritûs ✝ sancti, Amen.

ALpha, & Omega, principium, & finis, Pater Universalis, & verbum Patris, Creator cæli & terræ, maris & omnium, quæ in eis sunt. ✝ Dignare Domine per misericordiam, & Clementiam tuam concedere mihi ministro tuo, quamvis indigno, ut possim in nomine tuo IESU ✝ CHRISTE viriliter, potentialiter, & catholicè adjurare, & conjurare & expellere hoc tempus tempestuosum quod ante me, & post me, & supra

me, à dextris & à ſiniſtris video, & non video, ut citò recedat à nobis, & non valeat nobis nocere, nec bonis noſtris. O Adonay † & Tetagrammaton, ſumma Omnipotentia, vera DEI ſapientia † virtus Spiritus ſancti, Creator noſter, & defenſor, Conſervator, & ab his malis temporibus Liberator! defende, conſerva, & libera nos, & bona noſtra, à grandine, tonitru, fulgure, & tempeſtate. O Domine JESU Chriſte, Rex altiſſime, † qui pro nobis dignatus es naſci ex MARIA Virgine, dignare nos ab omni ſorde peccati, & infidelitatis liberare † ut gratia tua in nobis contra inimicos noſtros viſibiles, & inviſibiles poſſit habitare. O Domine JESU Chriſte, memento adventus tui ſuper nos, & miſerationum tuarum. † O Domine JESU Chriſte, memento, quia creaturæ tuæ ſumus factæ ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, in quantum ad animam, & plaſmaſti nos, & pro nobis fuiſti flagellatus, conſputus, coronatus, cõclavatus, lanceatus, & mortuus, & ſicut mors tua fuit deſtructio mortis æternæ, ita ſit deſtructio peccatorum, & flagellorum

noſtro-

nostrorum, fulgurum, † terræ motuum, † tonitruum, sagittarum, grandinum, inundantium aquarum, & sterilitatum † & per hoc divinum mysterium; ego tanquam minister, & JESU Christi fidelis † auctoritate ipsius, & sanctæ Matris Ecclesiæ, quâ fungor. Conjuro † vos dæmones, & Spiritus immundos, & ventos coagulationum: cum omnibus tempestatibus, & flagellis, & iniquitatibus vestris, ut citò recedatis à nubibus cæli, & à bonis omnium hominum, & præsertim à finibus, & confinibus nostris. Iterum in nomine Domini nostri JESU Christi, & S. Matris Ecclesiæ, & divinorum præceptorum, conjuro † vos dæmones, cum omnibus iniquitatibus, & maleficiis † vestris, ne hanc DEI Patriam omninò contingere præsumatis, quod cùm factum fuerit ad eam non audeatis accedere. Per eundem Christum Dominum nostrum † Amen. Et per Cru † cis hoc signum, fugiat procul omne malignum, & per idem signum salvetur quodcúnque benignum per eundem Christum Dominum nostrum. Ecce Cru † cem Domini nostri

JESU Christi, fugite partes adversæ, & statim discedite hinc maligni Spiritus: vicit enim vos & mundum Dominus noster JESUS Christus Filius DEI, Imperator summus, Leo de tribu Iuda, radix David.

Conjuratio II.

SAncti, Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, Evangelistæ, qui Christi Evangelium per quatuor mundi partes divulgârunt, ipsi suis meritis & precibus hanc tempestatem â termino isto, & ab omnibus Christianorũ finibus ab eodẽ Domino nostro IESU Christo removeri obtineãt & depelli. Et ego peccator & Christi Sacerdos seu minister indignus auctoritate, & virtute eiusdem DEI & Domini nostri IESU Christi summi Imperatoris, non meæ potentiæ innixus & confisus, vobis præcipio immundissimi Spiritus cum omni Societate vestra, qui has nubes seu nebulas concitatis, in virtute ejusdem DEI, & Domini nostri IESU Christi, per sanctissimam ejusdem Incarnationem, per sanctam Nativitatem per Baptis-

ptiſmum & Iejunium ipſius, per ejus ſacratiſſimam Crucem ✝ & Paſſionem, per ſanctam Reſurrectionem, per admirabilem Aſcenſionem, per tremendum Adventum ejus ad judicium, per merita intemératæ, ſempérque Virginis MARIÆ, & ſanctiſſimi JOSEPHI, & per merita omnium ſanctorum, ut exeatis ab eis, & eas diſpergatis in locis ſilveſtribus, & incultis, quatenus nocere non poſſint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuscunque rebus humanis uſibus deputatis. Et ✝ hoc præceptum ſit vobis ſub pœna gehennæ ignis. In Nomine Pa ✝ tris, & Fi ✝ lij, & Spirit ûs ✝ ſancti. Amen.

Denique exorcizo vos ſceleratiſſimos Dœmones, qui naturalia principia & aëreas impreſſiones, ex quibus mortalibus omnibus diverſimoda beneficia operatur DEUS, auſi eſtis in conſummationem nequitiæ veſtræ convertere, ventos çonci-tantes, vapores congregantes, nubes componentes, fulmina & tonitrua excitantes, per DEUM ✝ Patrem omnipotentem, per Dominum JESUM Chriſtum ✝ Filium e-

jus

jus unigenitum, & per Spiritum ſanctum † Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filióque procedit. † Exorcizo vos per glorioſam Virginem MARIAM, ſtellam maris, tranquillitatem & ſerenitatem inducentem. Tandem exorcizo † vos ô maligni Spiritus, umbræ, Phantaſmata, & Omnes conjuratores, & Incantatores diabolicæ artis, per Omnes illos (præſertim S. Patronum noſtrum JOSEPHUM) in quibus DEUS mirabilis & glorioſus apparet, ut à commovenda hac tempeſtate deſiſtatis, nec amplius terræ fructibus, multò minùs hominibus noceatis. Ne autem cùm veneritis ante tribunal Domini noſtri IESU CHRISTI, dicatis mentientes, nos fuimus in tali patria, & nemo nobis contradixit. Sic vobis ego contradico, & hoc inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſimè; ut citò, & ſine aliquâ morâ hinc recedatis, & eatis in diverſos montes deſertos, ubi non aratur, nec ſeminatur, nec ulla habitatio eſt, & ibi malitiam veſtram exercete, & ibi veſtras tempeſtates deijcite. Et hoc vobis præcipio per Virtutem Omnium ſanctorum, ac ſanctarum DEI.

In no-

In nomine Pa✝tris, & Fi✝lij, & Spiritûs✝ Sancti. Amen.

Iterû átq; iterum, conties átq; millies adjuro, & conjuro✝ vos, ô Maledicti Maleficiorum, grandinum, omniùmque malorum superbissimi Spiritus, Incantatores, Magi, Malefici, *Sagæ*, omnésque dæmonis, diabolicæque artis nequissimi Ministri. Vos itáque per illum stringo, ligo, & conjuro ✝ qui omnia creavit, confudit, & præcipitavit vos Dæmones, & spiritus malignos, in profundum inferni ad ignem sempiternum destinatos, vos dico, adjuro, quos S. Michaël Archangelus ejecit de cælo rebelles creatori vestro, qui vos, principémque vestrum Luciferum creavit tanto illuminatos lumine, & claritate, deinde superbia vestra convertit vos in tam horribiles, & horrendas bestias, inimicos Christianorum, qui sunt creati, ut sedeant super sedes in cælestibus Regnis, à quibus fuistis expulsi, ut eatis, & discedatis de aëre, & de nubibus maledicti, & rebelles vestro Creatori, ite, ite, ite in stagnum ignis, & sulphuris, ne amplius noceatis redemptis pretioso sangui-

ne JESU Christi. Adjuro etiam vos grandines, & ventos per quinque vulnera Christi, & per tres clavos, qui manus eius & pedes perforaverunt, & per quatuor Evangelistas SS. Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, ut in aquam resolutam descendatis.

Extenduntur manus in modum crucis contra nubes, dicendo Pater noster, Ave MARIA, & Credo, cum Oratione sequenti.

DOmine JESU Christe, qui cælum & terram creasti, aquas Jordanis benedixisti, in quibus baptizari voluisti, manus in cruce extendisti, & totum mundum redemisti: bene † dicere digneris hanc nubem, quam video ante me positam, ut nulla tempestas dæmonum in se ipsa præveniens nocere possit. Bene † dicat nos, & terram nostram DEUS Pater, bene † dicat DEUS Filius, bene † dicat DEUS Spiritus sanctus. Dividat te DEUS † Pater, dividat te DEUS † Filius, dividat te DEUS † Spiritus sanctus. Destruat te DEUS † Pater, destruat te DEUS † Filius, destruat te DEUS † Spiri-

Spiritus ſanctus. Annihilet te DEUS ✝ Pater, annihilet te DEUS ✝ Filius, annihilet te DEUS ✝ Spiritus ſanctus. In nomine eorumdem Pa✝tris, & Fi✝lij, & Spiritus✝ ſancti, Amen.

Conjuratio III.

Hæc conjuratio ter devotè dicatur.

In Nomine Pa✝tris, & Fi✝lij, & Spiritus ✝ ſancti, Amen.

Pater noſter, &c.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à fulgure, & tempeſtate, & ab omni malo.*

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS parce metuentibus, & propitiare ſupplicantibus tibi, & hos pernoxios imbres nubium, & vim procellarum, & comminationem tempeſtatis in materiam tuæ laudis tranſire facias. ℟. Amen.

Pater noſter, &c.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos ab hac tempeſtate, & grandine, & ab omni malo, Amen.*

COniuro vos aëreas tempeſtates per DEUM † vivum, per DEUM † verum, per DEVM † ſanctum, ut non iactetis grandines, & tempeſtates in poſſeſſionibus & finibus noſtris, & non dixeritis ante tribunal Chriſti, quod nemo vobis contradixerit. Ego enim præcipio vobis in nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus † ſancti, ut non iactetis grandines, & tempeſtates in poſſeſſionibus, & finibus noſtris, ſed eas proiicite in fluvium, vel immergite in mare ſine damno alicuius perſonæ. ℟. Amen.

Poſtea dicatur Pſal. 147.

Lauda Jeruſalem Dominum, &c.

Conjuratio IV.

Per ſignum † Crucis, de inimicis † noſtris libera nos DEVS noſter. In Nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † ſancti, Amen.

O ſancte † DEVS, ſancte † fortis, ſancte † & immortalis, comprime, & deſtrue omnes poteſtates adverſariorum Spirituum malignorum, & omnes malitias & congregationes ſerpentum, & cæterarum beſtia-

Bestiarum cuiuscunq; generis sunt, atque omnes incursiones tenebrarum, per tuam magnam virtutem, ut non valeant nocere nobis servis tuis, neque in finibus servorum tuorum, qui in te confidunt, & de manu misericordiæ tuæ sperant.

O vos Archangeli DEI! Michaël, Gabriel, Raphaël, & omnes DEI Angeli. Venite in Adiutorium nostrum, obsecro vos in virtute DEI fortissimi, omnes beatissimi Spiritus occurrite, & succurrite, ne nobis maligni Spiritus noceant.

Adiuro † vos Angelos tenebrarum, & omnes incantatores, & omnes ministros Sathanæ, qui dæmones invocatis, ventos coagulatis, & aërem commovetis, & tempestates emittitis, labores hominum tollitis, & necessaria destruitis. Coniuro † vos, & præcipio vobis in virtute Passionis Domini nostri IESV Christi, ut non mittatis grandines in omnibus finibus nostris nec infra fines nostros. Sanctus DEVS, sanctus fortis, sanctus, & immortalis sit nobis in adiutorium nostrum, contra omnes insidias diaboli, videlicet, tempestates, Fulgura, tonitrua, & contra omnia

mala,

mala , quæ maligni Spiritus immittere poſſunt, vel etiam procurare. Emanuel †DEVS homo JESVS Chriſtus per iſta benedicta nomina, & per ſignum ſanctæ cru†cis. Coniuro † vos Spiritus maledictos, ut nobis non noceatis, nec aliquod damnum inferatis ; ſed revertimini retrorſum , & ite in loca arida, & deſerta, & ſoſitaria, ubi non aratur, nec ſeminatur , nec fructus naſcuntur, nec habitatio hominum eſt, nec eſſe poteſt, & ibi malitiam veſtram exercete. Iterum adjuro† vos maledicti Spiritus , per benedictum Michaëlem Archangelum , qui Patrem & Magiſtrum veſtrum Sathanam maledictum expugnavit, & in profundum inferni demerſit, & in igne perpetuo incluſit, ipſúmque igneis catenis alligavit.

Adjuro † vos per Viginti quatuor Seniores , per tres Patriarchas , per Duodecim Apoſtolos , & per quatuor Evangeliſtas, per omnes Martyres, & Confeſſores , Virgines , & omnes ſanctos , qui divinæ , & ineffabili Trinitati, quæ eſt Pater † Filljus † Spiritus † Sanctus, ab initio mundi placuerunt, & in æterna gloria coronari meruerunt

erunt, quam vos propter vestram superbiam perdidistis. Conjuro ✝ vos, ut non mittatis grandines, lapides, coruscationes, vel quævis alia contraria in segetibus nostris, nec in finibus nostris. Sed veniat nobis de cælo aqua pluvialis, dulcis, & utilis tanquàm aqua Iordanis, quam Dominus noster IESUS CHRISTUS benedixit, & in ea aqua baptizatus est, quæ inebriet terram, & faciat eam salubriter germinare. Adhuc iterum conjuro ✝ vos maledicti Spiritus, per Omnes cœlos, ut absque damno, & alicujus rei detrimento, à segetibus, & à nostris confinibus recedatis, ne fortè cùm veneritis ante Tribunal Domini nostri IESU CHRISTI ad excusandas excusationes in peccatis, dicatis: nos circuivimus, & perambulavimus terram, & nemo nobis contradixit; qnoniam ego vobis contradico, & conjuro omnes vestras contrarietates per Dominum nostrum IESUM CHRISTUM Creatorem omnium, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, qui est Alpha & Omega, Principium & finis omnis creaturæ DEI, cujus incompre-

prebenſibilia ſunt judicia ejns, & inveſtigabiles viæ ejus qui ſuper aſpidem, & Baſiliſcum ambulavit, & conculcavit Leonem & Draconem, cui nomen Sanctum Adonay, terribile & immortale,& cui omne genu † flectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Etenim omnes proclamant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS ſabbaoth, pleni ſunt cœli, & terra gloria ejus,O ſaña in exelſis. Denique Conjuro † vos Miniſtratores tenebrarum, & omnes Spiritus Maleficiorum convertite vos retrorſum, & evadite in montibus, & locis deſertis, ubi Chriſtianorum nullus eſt labor, neque ſudor, recedite,& abite, & erubeſcite confitentes, quòd Dominus IESUS CHRISTUS noſtrum ſit refugium, & virtus, ipſe eſt Adjutor noſter,& Protector in opportunitatibus, & in tribulatione. Cui gioria, laus & Imperium per infinita ſæcula ſæculorum, Amen. DEO gratias.

O

Con-

Conjuratio V.

Ex Comp. act. exorc.

O Angeli Tartarei, qui in hoc caliginoso aëre habitatis detrusi, ubi repercussio radiorum solis pertingere non potest: sed in continua obscurittate pœnantes, & tonitrua, grandines, nives, fulgura, pruinam, & tempestates diversas movetis: in nomine SS. Trinitatis Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus†Sancti, vos conjuro †Fugo† & præcipio; *Vt Rabies* vestras maledictas & tempestates has, sive per maleficorum Incantationes sint, sive à sola vestra iniquitate, & invidia, sine alicuius rei nocumento à nobis, & à tota regione Christianorum auferatis, sicut pulvis, & folia ante faciem venti, & sicut lanugo, & stipula, quæ à vento rapitur: & eo modo, quo ascendente JESU ad cælos confusi præcipites fugistis; ut eas præcipitetis in saxosis montibus, in cavernis & locis aridis, & desertis, & in abyssis, in quibus non aratur, nec seminatur, nec quidpiam colligitur, nec nomen JESV Christi invocatur, nec nominatur, ut ra-

bies

bies veſtras maledictas ibidem ſpumantes vos incendant fulgura de cælo : imò in virtute ejusdem Omnipotentis, & Domini noſtri IESU CHRISTI impero, ut fugientes relinquatis nobis imbrem, & aquam melliſluam, benedictam, & ſanctam ad irigandos agros, & nemora, & viridaria, & vineas, & ſyluas, & prata noſtra, ut habeantpauperes panem & vinum, omniumque generum fructus in abundantia, & ſaturitate : & hoc totum præcipio Strictiſſimè, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac excommunicationis majoris pœna latæ ſententiæ, ac ſub pœna annorum centum, mille de pœna accidentali, illicò incurrenda caſu inobedientiæ.

Fugite ergo, ô nigerrimi Angeli, Scorpiones venenati, cuſtodes porcorum, & beſtiæ fœtidiſſimæ; nam in nomine SS. Trinitatis Pa✝tris, & Fi✝lij, & Spiritûs✝ Sancti. Ego miniſter Exorciſta Sanctæ Eccleſiæ Apoſtolicæ Romanæ, per authoriratem fundatam in Paſſione, & cruce Domini noſtri IESU CHRISTI mihi conceſſam ſuper ſerpentes, & Scorpiones, ſuper aſpides, & Baſiliſcos, & ſuper Leonem & Dra-

Draconem, termino omnia maleficia, incantationes, & omnia, quæ mala sunt. Et sicut æternus DEUS constituit homini terminos dierum, & mensium, qui præteriri non poterunt: sic terminum, & finem impono omnibus operibus Sathanæ, & conjuro †, & fugo † vos ô præcipitati Angeli, per Incarnationem Domini nostri JESU Christi: Per Adventum ejus † per Nativitatem ejus †, per Baptismum ejus † per sanctum jejunium eius †, per prædicationes & miracula †, per columnam, ad quam fuit ligatus, & flagellatus † per spineam coronam, clavos, & lanceam ejus †, per crucem, & acerbissimam passionem ejus †, per testamentum, in quo discipulum matri, & matrem discipulo commendavit †, per emissionem Spiritus ejus †, per sepulturam ejus †, per descensionem ejus ad inferos, & spoliationem inferni †, per Resurrectionem sanctissimam ejus † per admirabilem Ascensionem ejus †, per missionem Spiritus sancti in discipulos †, per adventum ejus in die Judicij †, per Annunciationem & immaculatam Conceptionem Beatissimæ

Virginis MARIÆ , per Nativitatem, & Præſentationem ejus , per Aſſumptionem ejus ſuper Choros Angelorum ,per cæleſtem Hierarchiam ſuperiorem, mediam & inferiorem , per Cherubin & Seraphin per Thronos, & dominariones per Principatus & Poteſtates , per omnes virtutes , per Angelos, & Archangelos , per Apoſtolorum ſonum, & conſtantiam Martyrum, eorúmque ſanguinem in acerbiſſimas Paſſiones fuſum , de quo ornata eſt ſancta Jeruſalem , per ſanctitatem & continentiam SS. Confeſſorum ac Virginum , per omnes ſanctos DEI, quorum vitæ curſus nihil aliud fuit,quàm unus cum vigili hoſte conflictus , qui gubernaculum fidei viriliter, & ſcutum timoris DEI infatigabiliter tenuerunt : ita anchorâ ſpei navem plenam cæleſtibus divitiis , & æternis mercibus in optato litore collocaverunt. *Ut Rabies veſtras, &c. ut ſuprà.*

O vos omnes ſancti , & ſanctæ DEI adeſtote, & advertite, & venite ad benedicendum, & ſanctificandum has nubes , ut tranſeant in aquam benedictam, &

ut

ut spiritus maligni, qui volunt tempestate levare decimas, & primitias, & fruges, expellantur de tota patria nostra. Et vadant ad mare, vel ad locum desertum, ubi nullus fit labor, & per hoc signum Crucis, fugite vos dæmones: In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Benedictio DEI Patris, & Filii, & Spiritus sancti, descendat super has nubes, & omnem vim inimici ab eis repellere dignetur, Amen.

Si tempus tempestuosum adhuc permanserit poterunt supradicta pluries repeti.

Debent etiam statim ab initio, ut moris est, campanæ pulsari.

Conjuratio alia.

Ex Nucleo Catholicæ devotionis.

TE deprecamur, misericors Domine, ut diabolum & omnes Angelos ejus ab ista Parochia, & omnibus habitationibus nostris tuâ potentissimâ Majestate repellas, & nos benignissimâ misericordiâ tuâ ab imminentibus & futuris periculis defendas.

Væ vobis maligni Spiritus, qui nequitias veſtras exercetis etiam in ſubcæleſti aëre; increpet vos DEUS Pater†, & à veſtris machinationibus nos cuſtodiat, qui plaſmavit nos; reſiſtat vobis JESUS † DEI Filius per crucem ſuam, & defendat nos, qui paſſione & morte ſuâ amariſſimâ redemit nos; abigat vos Spiritus ſanctus† cujus virtute renunciavimus vobis in Baptiſmate; ut non poſſitis nocere creaturæ, quæ DEI ſignaculo ſignata eſt, neque deponere iram veſtram in loco iſto, nec in agris, campis aut fluminibus noſtris, ſed eam deportetis vobiſcum ad loca infernalia quò detrudemini, quando veniet, qui judicaturus eſt ſæculum per ignem. En ego armatus armaturâ DEI, ſignatus ſignaculo † redemptionis noſtræ, contradico vobis, ne habeatis excuſationem jn noviſſimo die, ac dicatis, nemo contradixit nobis; igitur ego, cum omnibus ſanctis DEI, contradico vobis, in nomine Pa† tris, & Fi† lij, & Spiritus† ſancti. Amen.

A fulgure & tempeſtate, & ab omni hoſtili maleficio libera nos, Domine JESU Chriſte, & per virtutem ſigni ſanctæ Cru-

cis

cis tolle grandines, & nocivas tempestates, atque procul à finibus nostris arce malignos spiritus cum virtute tua, ne possint nocere nobis, qui sanctam fidem tuam profitemur, quos ipse pretioso sanguine tuo, & amarissimâ morte à dæmonis tyranide liberasti.

JESUS Nazarenus Rex Judæorum, Titulus triumphalis defendat nos ab omnibus malis. Sancte DEUS, sancte fortis, sancte immortalis miserere nobis.

Benedictio DEI Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus † sancti liberet nos, ac omnes Christi fideles, & possessiones ac habitationes nostras, ac fructus terræ nostræ, à noxijs tempestatibus, tonitruis, & ab omni potestate maligna, Amen.

Notandum.

Est decretum S. Caroli Borromæi sequentibus verbis conceptum: Cùm grandines, nimbi, turbines, & aliæ temporum procellæ imminent, ad eas tempestates sedandas, vel ut vocant signandas, ne Sacerdos vasculum, in quo sanctissimum Christi Domini asservatur, adhibeat, sed tabernaculum accensis lumini-

bus pœtefaciat, ut ea nimborum vi imminente, rogationes, & preces à Clero, populóque coram Domino religioſé fiant. Act. Eccl. Mediol. 349.

FASCICULUS XIII.

In quo

Benedictiones. Exorciſmi, & Conjurationes, Ex Circulo aureo; Rituali Romano; Manuali Einſidlenſi; & Nucleo Benedictionum, Conſtantiæ & Lincij impreſſo, excerptæ.

Præmonitio.

GEneris humani Vindicem Dominum noſtrum ſacris ſuis diſcipulis, eorumque ſucceſſoribus ſacerdotibus virtutẽ & poteſtatẽ ſuper omnia Dæmonia eorumq; ſacrilegas machinationes dediſſe ex D. Luca Evangelio Legenti cap. 9 & 10. clarè conſtabit. Quicunque ergò Sacerdotes ex ſacris Ordinibus & virtute clavium eandem ſibi datam non

non diffidunt, viros illos sanctos vitæ integritate imitari adlaborent.

Iuratissimi autem hostes nostri, Principes illi tenebrarum & mundi rectores diaboli quàm sint potentes, quantúmque aut per se, aut per mancipia sua homines impios, pecoribus, hominibus, & frugibus terræ passim & multis in locis noceant, sæpè dolenter experimur.

Omnes proinde, qui eorum pestiferos conatus & factiones per sacros Exorcismos & Adjurationes infringere & eludere intendunt, jubente DEO *nostro sanctificentur & sancti sint, quia sanctus est Dominus* DEUS *noster, ut in libro Levit. c.* 19. *&* 20, *scriptum legimus.*

Sacerdos proinde sequentes Exorcismos, seu Benedictiones pro rei necessitate dicturus, imprimis ad DEI *honorem & Catholicæ Ecclesia intentionem omnia se facturum proponat.* 2. *Ut res benedicendas semper curam se habeat, & in fine jam benedictas aquâ lustrali aspergat.* 3. *Ut decentiùs omnia fiant quoad fieri potest, superpelliceo, vel saltem stolâ sacrâ indutus ad exorcizandum, conjurandum, aut benedicendum procedat. Et sit*

cujusvis benedictionis exordium ; In nomine Pa † tris , & Fi † lii , & Spiritus † Sancti Amen.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cælum & terram.*

℣. *Domine exaudi Orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

DEUS, à quo omne bonum ſumit initium , & ſemper ad potiora progrediens percipit incrementum , concede , quæſumus , ſupplicantibus nobis : ut quod ad laudem nominis tui inchoare aggredimur , æterno tuæ paternæ ſapientiæ munere perducatur ad terminum. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. *Amen.*

I.

Benedictio salis & aquæ.

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

EXorcizo te creatura salis per DEUM ✝ vivum, per DEVM ✝ verum, per DEUM ✝ sanctum, per DEUM, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, & sis omnibus sumentibus te, sanitas animæ, & corporis: & effugiat atque discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, & nequitia; vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque Spiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. *Amen.*

Oremus.

IMmensam clementiam tuam, omnipotens ærerne DEUS, humiliter imploramus; ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, benedicere ✝ & sanctificare ✝ tuâ pietate

hoſtiles nequitias potenter expugnas ; te Domine, trementes, & ſupplices deprecamur, ac petimus ; ut hanc creaturam ſalis & aquæ dignanter aſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore ſanctifices ; ut ubicúnque fuerit aſperſa, per invocationem ſancti tui nominis, omnis inſeſtatio immundi Spiritus abigatur : terrórque venenoſi ſerpentis procul pellatur : & præſentia ſancti Spiritus nobis miſericordiam tuam poſcentibus ubique adeſſe dignetur. Per Dominum noſtrum. In unitate ejuſdem.

Aſperges me Domine hyſſopo, &c.

Oremus.

EXaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEVS, & mitrere digneris ſanctum Angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

II. *Be-*

II.

Benedictio Camporum, Arborum, vinearum, Terrarum, seminum, & segetum, &c.

Oremus.

BEnedicat ✝ nos DEUS, DEUS noster : & terræ nostræ ubertatem concedat : in centuplum multiplicet fructum ejus, ut viventes in exultatione manipulos nostros colligamus. Dignare Domine bene ✝ dicere terram istam ut det fructum bonum, & sanctum in tempore suo. Nam ego in nomine tuo, & S. N. eam benedico ✝, & sanctifico ✝, ut nullus Spiritus possit eam turbare. In nomine Pa ✝ tris, & Fi ✝ lii, & Spiritûs sancti, Amen.

O Domine multiplica super nos misericordiam tuam : & super has fruges veniat speratæ bene ✝ dictiõis ubertas, segetésque nostras, & uvas, & fructus, & omnia ad maturitatem fertilitatis perducere dignare. Per Christum Domi-

miuum noſtrum, Filium tuum unigenitum, Amen.

O Domine JESU Chriſte, mitte Spiritum tuum ſanctum, cum omnibus Angelis ſanctis, & ſpiritibus beatis; ut defendant ſegetes noſtras, & fruges, & fructus ab imbribus nubium, à fulgoribus, à tempeſtatibus, à vermibus malis, ſive ab avibus, & ab omnibus infeſtationibus dæmonum, & omnia benedicant, & ego benedico vos fructus ſeminum, frugum, frumenti, hordei, &c.

In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † ſancti, Amen.

Oremus.

Pietatem tuam, omnipotens DEUS, humiliter imploramus, ut hos campos, agros, vineas, hortos, Prata, Paſcua, & Alpes, &c. Quæ aëris temperamento nutrire dignatus es, tuæ Bene † dictionis imbre perfundere digneris, tribuens populo tuo, de tuis muneribus, tibi ſemper gratias agere, & pulsâ ſterilitate

tate terræ, eſurientium animos, bonis affluentibus replere, ut egeni & pauperes laudent nomen gloriæ tuæ in ſæcula. Amen.

III.

Benedictio contra quæcunque noxia animalia, vermes, mures, ſerpentes, & alia quæcunque, agros, &c. exordinariè inficientia, & corrumpentia.

Primùm benedicitur ſal, & aqua in hunc modum.

℣. *Adjutorium, &c.*

Oremus.

DOmine, ſancte Pater, Omnipotens æterne DEUS; mitte Spiritum ſanctum tuum, cum Angelis, & Archangelis, cum Thronis, & Dominationibus, & cum eis, omnes Sanctos, & electos tuos; ut defendant ſegetes noſtras à vermibus malis & magnificetur nomen tuum in omni loco. Per Chriſtum Dominum, &c.

Oremus.

BEne † dic Domine hanc creaturam ſalis, & aquæ; ut fugiant vermes, mures, aves, & omnia quæcunque noxia animalia ab omnibus campis, agris, vineis, hortis, fructibus, & ſegetibus noſtris, propter nomen Domini noſtri JESU Chriſti, quod invocatum eſt in ipſa creatura Meſſis, ut fiat alimentum omnibus, qui vivunt ex ea. Per eundem, &c. *Deinde benedicuntur ſegetes, addendo ſequentes Orationes, & exorciſmos.*

Oremus.

PReces noſtras, quæſumus Domine clementer exaudi, ut qui juſte pro peccatis noſtris hanc ærumnam patimur, ut procul tuâ potentiâ, expulſa hæc noxia animalia nullæ de oætero noceant, & hoc agros, campos, vineas, hortos, terrasque, & alia, in tranquilitate, & quiete dimittant; quatenus & ex ijs provenientia tuæ Majeſtati deſerviant, & noſtræ neceſſitati absque nocumento ſubveniant. Per CHRISTUM Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Exor-

Exercismus.

EXorcizo † & adjuro vos pestiferos vermes, mures, aues, locustas, bruchos Erucas, & serpentes, per Deum omnipotentem † & per JESUM CHRISTUM † Filium ejus Dominum nostrũ, & per Spiritum † S. ab útroque procedentem, & per S. N. ut confestim recedatis ab his campis, agris, pratis, hortis, vineis, aquis, alijsque locis, & si DEI providentia adhuc vitam vobis indulgeat, ne amplius in eis habitetis, sed ad illa, ac talia loca transeatis, ubi nullis DEI servis nocere poteritis. Vobis, si per maleficium diabolicum hic estis, pro parte divinæ Majestatis, totius Curiæ Cœlestis, nec non Ecclesiæ hic adhuc militantis impero, ut deficiatis in vobis ipsis, ac decrescatis, quatenus relequiæ de vobis nullæ reperiantur, nisi ad gloriam DEI, & ad usum, & salutem humanam conducibiles. Quod præstare dignetur, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Alius Exorciſmus.

ADjuro vos Dæmones, per Deum Patrem Omnipotentem, qui in deſerto per quadraginta annos ſatiavit filios Iſrael Mannâ, & ex Petra aquam eduxit eis ad bibendum, ut ſtatim ab his agris, campis, vineis, pratis, hortis, aquis, omne, quod noxium eſt, amoveatis. Adjuro etiam vos animalia, & quæcunque per maleficium diaboli noxia eſtis hominibus, & bonis eorum, per Deum Patrem Omnipotentem, & per Filium ejus, & per Spiritum ſanctum Paraclitum, ut hinc diſcedatis, nocere deſinatis gramibus, frugibus, piſcibus (*exprimantur, quæ nocumentum patiuntur*) & diſſipemini, & omnis virtus & poteſtas nocendi vobis adimatur, & interimat vos dextera *D*ei omnipotentis per invocationem nominis ſui, & per Paſſionem & mortem JESU Chriſti Filij ſui; & per merita Beatiſſimæ Virginis Mariæ, S. Joſephi, & omnium Sanctorum & Sanctarum cæleſtis curiæ. Amen.

Ore-

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, remunerator omnium bonorum, & pœnitentium peccatorum maximus miserator: in cujus nomine omnia genua flectuntur, cælestium, terrestrium, & infernorum: concede nobis propitius, ut quod de gratia & misericordia tua confisi agimus, per eandem gratiam & virtutem tuam, efficacem consequamur effectum: quatenus hos pestiferos vermes, vel mures, aves, vel locustas, vel alia quæcunque noxia animalia, per nos servos tuos, maledicendo extermines; ut per tuam clementiam ab hac peste liberati, Majestati tuæ congruas referamus gratiarum actiones. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui cælum & terram, mare, & omnia creasti: te supplici-ter petimus, & obsecramus: ut tuâ ineffabili providentiâ, quâ universa mirâbiliter gubernas: hos agros, campos,

prata, vineas, hortos, herbas, flores, arbores, fructus, & ſegetes bene † dicere, & ſancti † ficare digneris, & eis fertilitatem tribuere, ad ſuſtentationem ſervorum tuorum, ad ſolamen corporum, & ad ſpiritualem refectionem animarum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde aſpergantur loci & fructus aquâ benedictâ, ut in aliis benedictionibus.

IV.

Benedictio panis, vel Tritici, vel farinæ, vel leguminis, pro infirmis, vel maleficiatis, mutatis mutandis.

Oremus.

PEto, ô Domine Jeſu Chriſte, ut benedicas † panem hunc, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, ut ſit ſumentibus ſalus mentis, & corporis, atque contra morbos, & univerſas inſidias diaboli; nam ego N. Sacerdos tuus, in nomiue tuo hunc panem benedico † ſanctifico † & exorcizo † ſicut Elias benedixit farinam in hydria Viduæ, & fecit ſub-

ſubcinericium panem benedictum Eliæ, qui ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus uſque ad Montem Dei Horeb: ſic hunc panem in nomine tuo benedico † & ſanctifico † creaturis tuis trado, ut accipiant, & comedant ad eradicandum à corporibus ſuis omne Maleficium, incantationem, ligamen, ſignum, & opus Diabolicum, & ipſos dæmones, omnémque febrim, & qualemcunque ægritudinem.

O Domine Jeſu Chriſte, qui es panis natus in Bethlehem. Panis vitæ, bene † dic, & ſancti † fica eum; & ego per ſanctum nomen tuum, & beatiſſimæ Virginis Mariæ, ac S. Joſephi eum bene † dico, & ſancti † fico, ac per ipſum ſanctum nomen tuum terribile, deſtruo omnia maleficia; & per ipſum ſanctum nomen, ô Domine Jeſu, hunc panem bene † dico, & ſanctifico, & virtutem tui ſanctiſſimi nominis infundo, ut ſit contra omnes vexationes diabolicas, & qualescunque ægritudines. Benedico hunc panem, & ſanctifico † & Dominus tecum

fit, ô panis benedicte, ut extinguas venena, noxia comprimas: adversa depellas, maleficia destruas, dæmonia fuges à creaturis tuis. O S. Michael bene † dic hunc panem per tuam sanctam pietatem. O sancta Maria, sancti † fica hunc panem; ut qui comederint ex eo, recipiant sanctitatem, & tuam sanctam benedictionem. O Patriarcharum decus Beatissime Josephe, tu lumen Ecclesiæ sanctæ Dei, & Oeconome: qui panem vitæ, & frumentum Electorum conservasti, infunde in hunc panem tuam sanctam benedictionem, ut sit ignis ardens contra dæmones, & destruat facturas, & omnia opera Sathanæ; Amen.

Benedicat, quæsumus, Domine, sancte Pater per amorem Filii tui, virtus Spiritus sancti Panem istum, & ita bene † dicat, inflammet † & exorcizet: ut quicunque ex eo comederit, sive gustaverit in nomine tuo, & dilecti Filii tui, & Spiritus sancti, Beatissimæ Virginis Mariæ & S. Josephi, ab omnibus infirmitatibus, & operibus sathanæ sanetut. Da Domine sancte Pater Omnipotens æterne Deus,

ut

ut quod rogamus & exoramus; obtineamus in nomine tuo, & dilecti Filij tui, & Spiritus sancti, Beatissimæ Virginis Mariæ, & S. Josephi. Amen.

V.

Benedictio Vini S. Joannis.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui ex quinque panibus & duobus piscibus, quinque millia hominum satiasti. In Cana Galileæ vinum ex qua fecisti. Qui es vitis vera, multiplica super nos misericordiam tuam, quemadmodum fecisti cum Patribus nostris in tua misericordia sperantibus bene † dicere, & sancti † ficare digneris hanc creaturam vini, quam ad sustentationem servorum tuorum tribuisti, ut ubicunque ex hac creatura fusum fuerit, vel à quolibet potatum divinæ benedictionis † tua opulentiâ repleatur; & accipientibus ex ea cum gratiarum actione sancti † ficetur in visceribus eorum. Per te Jesu Christe *S*alvator mundi, qui vivis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus meus & Pater Domini mei Jesu Christi, cujus verbo cæli firmati sunt, cui omnis creatura deservit, & omnis potestas subiecta est, & metuit & expavescit. Nos te ad auxilium invocamus, cujus audito nomine serpens conquiescit, draco fugit, silet vipera, & subdita illa, quæ dicitur rana, inquieta torpescit, scorpius extinguitur, regulus vincitur, squalangus nihil noxium operatur; & omnia venenata, & adhuc fortiora reptantia, & animalia noxia terrentur, & omnes adversæ saluti humanæ radices arescunt, per amorem dilecti tui Joannis Evangelistæ tu extingue in hoc poculo omne veneni virus, extingue operationes mortiferas, quas bibituri sunt fideles tui, & in conspectu tuo omnibus his, quos tu creasti & pretioso sanguine redemisti, da oculos ut videant, & aures ut audiant, & cor, ut magnitudinem tuam intelligant, qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

℣. *Dominus vobiscum, &c.*

Initium, &c.

In

In Principio erat verbum, &c.

℟. *Deo Gratias.*

PEr istos sermones sancti Evangelii, & per merita beati Joannis Apostoli & Evangelistæ bene✝dicere & consecrare digneris hanc creaturam vini dexterà tuâ, quam & ego in nomine tuo, & S. Joannis Evangelistæ bene✝dico, & sancti✝fico, ut sit tanquam vinum, quod Christus dat suis devotis in convivio suo spirituali. Adhuc bone Jesu dic verbum, & bene✝dic, ac sancti✝fica hoc vinum; & præsta, ut omnes in te credentes, & de calice isto bibentes, à te benedicantur & protegantur, & sicut beatus Joannes de calice venenum bibens non est læsus, ita hodie isti in amore tuo, & beati Joannis de calice isto bibentes, meritis ipsius ab omni ægritudine veneni absolvantur, & animâ, & corpore se tibi offerentes, ab omni culpa solvantur. Tandem bene✝dico hoc vinum, per quod destruo omnia maleficia, facturas, & incantationes, quæ factæ sunt, & fient; fugo omnes

mnes dæmones per eum, qui torcúlar calcavit ſolus, Amen.

VI.

Benedictio Domûs, vel loci.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis præ cæteris tantam gratiam contuliſti: ut quidquid in tuo nomine dignè, perfectêque ab his agatur, à te fieri credatur. Quæſumus immenſam clementiam tuam, ut, quod modo viſitaturi ſumus, quidquid benedicturi, bene † dicas, & ad ea, quæ acturi ſumus, dexteram tuæ potentiæ extendas, fiátque ad noſtræ humilitatis ingreſſum, & introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga Dæmonum, & Angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

DOmine ſancte Pater, per merita S. N. benedic domum iſtam † benedic introitum noſtrum, benedic † ingreſſus pedum noſtrorum, ſicut dignatus es domum Patrum noſtrorum A-

bra-

braham, Isaac, & Jacob, bene † dicere. O Domine Jesu Christe, quæsumus, qui Discipulis tuis dixisti in quamcunque domum intraveritis, salutate eam dicentes. Pax huic domui : Veniat pax illa super omnes famulos & famulas tuas, qui eam inhabitant nunc, & inhabitaturi sunt, & eos Domine ab omni infirmitate eripere, & liberare digneris, & replere centelimo fructu, Vini, & Olei, & Frumenti, & in futurum illis æternam concedere gloriã Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Benedic † Domine domum istam, & locum † istum cum ædificiis; & sit ibi sanitas, sanctitas, virtus, & gloria, atque humilitas, bonitas, & mansuetudo, lenitas, & plenitudo legis, obedientiaque Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Hæc Bene † dictio sit super domum & super locum istum, & super omnes habitantes in eo, per Christum Dominum nostrum Amen.

† Sancti Angeli Dei descendant in hanc domum. & eam defendant, & protegant

tegant ab omnibus dæmonibus, & facturis, per pietatem Dei ſemper, Amen.

Conſerva Domine domum iſtam in æternum impollutam, quam à Spiritibus immundis flagellantibos, nunc mundo † purgo † bene † dico, & ſancti † fico. Egrediatur ſons de domo tua Domine, per domum iſtam, ut irrigetur miſericordiâ tuâ, & dic Angelo percutienti: ceſſet jam manus tua; appareat Majeſtas tua, & ſancti † ficet hoc habitaculum. S. Maria V. invoco nomen ſanctum tuum ſuper hanc domum, & locum: bene † dic eum; quia tu es mater miſericordiæ, & conſolatrix afflictorum. S. Pater N. exurge, & per paſſionem Jeſu Chriſti bene † dic, & ſancti † fica hanc domum, & locum iſtum: ut dæmones, & eorum maleficia non poſſint latere, neque ſtare in hac domo, vel loco; nam ego N. Sacerdos Dei, & ſervus tuus in tuo nomine deſtruo † & annihilo † facturas, & omnia maleficia facta, vel fienda in hac domo, vel loco, & bene † dico, ſancti † fico hanc domum & locum; ut dæmones, & facturæ eorum non poſſint ſtare, nec durare,

rare, sed nunc omnia destruantur, & deficiant. In nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritûs † sancti, Amen.

Peto Domine, per tuam bonitatem, ut domus, & locus iste, sit bene † dictus à tua sancta dextera; ut sit ignis ardens dæmonibus, ut semper fugiant confusi; nec ullo modo possint stare, nec latere vel die, vel nocte, & omnes habitantes securi sint, & quiescant in tua pace, sine turbatione, vel strepitu, & sine aliquo nocumento diabolico, sed tua bene † dictio sit semper super domum, & locum istum, Ac super omnes habitantes in eo, per te Jesu Christe, Amen.

Oremus.

DEfende, quæsumus Domine, locum istum, vel domum istam à majoribus usque ad minimos cum pecoribus & rebus suis ab igne, ab infirmitate, à tempestate, ab ira ventura, ab omnibus tribulationibus diaboli, & ab insidiis inimici, & tu Deus sis habitator, & custos, & eam ab omni igne custodi. Per Christum Dominum nostrum, ℟. Amen.

Pax

Pax † & Benedictio † sanctissimæ Trinitatis, & S. N. Patrocinium descendat super domum hanc, Amen.

Et habitantes in hac domo per nomen Jesu possint devotè orare, quietè dormire, comedere, bibere, & alia naturalia agere libere, & exercere. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

VII.

Benedictio Armentorum, Equorum, Boum, Ovium, &c. Extra, & tempore Pestis.

DEus Pater Domini nostri Jesu Christi, cujus verbo cæli firmati sunt, cui omnis creatura deservit, & omnis potestas subiecta est, cuius audito nomine, serpentes conquiescunt, dracones fugiunt, viperæ silent, scorpiones extinguuntur, reguli vinciuntur, Phalangia nihil noxium operantur, venenata non nocent, cuncáque noxia animalia, licèt ferocia, terrentur; ad auxilium nostrum te imploramus. Tu ab his armentis, omnes diaboli fraudes repelle, ferarum incursus amove, venena rescinde, eáque ab omnibus infirmitatibus, adversita-

statibus, & periculis libera. O Domine tuam misericordiam supplices exoramus; ut hæc animalia, quæ gravi infirmitate vexantur, in nomine tuo, atque tuæ benedictionis † virtute sanentur. Extinguatur in eis omnis venenosa & mortifera potestas, ne ulteriùs ægrotent. Dignare Domine per nomen sanctissimum dulcissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, per intercessipnem beatissimæ Virginis Mariæ, ac S. Josephi, & per merita S. Stephani, & divi Antonij, omniúmque Electorum tuorum conservare hunc gregem, defendere, & liberare ab infirmitatibus, expurgare ab omni adversariorum nequitia stabulum, salvificare pabulum, fœcunditatem ei tribuere, & tuâ efficacissimâ benedictione replere omnia, quæ usui horum armentorum adaptantur, & adaptanda erunt. Per eundem &c.

Oremus.

EXaudi nos, sancte Pater, Omnipotens æterne Deus, ut sicut domos Hebræorum in exitu de Ægypto, Agni sanguine conspersas ab Angelo percutiente custodisti: ita mittere digneris san-

ſanctum Angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, protegat, atque defendat jumenta & pecora iſta ab igne, & infirmitate, à tempeſtate, & ab ira venturâ, à rapacibus latronibus, à beſtiis vaſtantibus, à ſcabie, à morbis, & morſibus, à laqueis, à Diabolo, & miniſtris ejus, ab inſidiis inimicorum omnium viſibilium & inviſibilium, ab invidiâ & malitia perverſorum hominum, à malis oculis, à maleficiis, à veneficiis, & ab omnibus diabolicis fraudibus, quocunque modo factis, vel procuratis; ut laudetur, & magnificetur nomen ſanctum tuum & glorioſum. Per Dominum noſtrum &c. Amen.

VIII.

Benedictio Salis, qui datur Animalibus.

Oremus.

DEus inviſibilis, & inæſtimabilis, pietatem tuam, per ſanctum ac tremendum Filii tui nomen ſupplicíter deprecamur: ut in hanc creaturam ſalis bene ✝ dictionem, & potentiam inviſibilis operationis infundas: ut animalia, quæ neceſſitatibus humanis tribuere digna-

dignatus es, cùm ex eo acceperint, vel gustaverint, bene † dictio, & sancti † ficatio tua, ea, ab omni ægritudinis, & læsionis incursu, te protegente, custodiat. Per eundem, &c.

Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, defende, quæsumus, omnia animalia nostra per hanc creaturam salis & aquæ, defende piissime à rapacibus latronibus, à bestiis, à scabie, à morbo, à morsibus, à laqueis, à diabolo, ab infirmitate, ab invidia & malitia pravorum, à malis hominibus, à malis oculis, à veneficis, aruspicibus, & ab omnibus malis; & animalia, quæ morbis, & infirmitatibus vexantur, per hanc creaturam salis, & per invocationem sancti nominis tui sanare digneris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

IX.

Benedictio Lactis & Butyri.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui inter cætera dona clementiæ tuæ, hominibus ad usus varios vitæ mor-

talis, lactis ſubſtantiam largiri dignatus es; majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut Lactis hujus ſubſtantiam ſic bene † dicere digneris, ut & ſervis tuis feliciter & copiosè proveniat, & quisquis illo deinde ad alimentum ſuum, vel ad aliam vitæ hujus commoditatem uti voluerit, gratiam tuam & benedictionem ſibi gaudeat adfuiſſe. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, cui creaturarum tuarum bonitas placet, quique abundantia pietatis tuæ fideles per Prophetam tuum ad comedendum pinguia invitare dignatus es, atque inter alias creaturas pinguedinis tuæ participes, butyro tantam dignitatem tribuiſti, ut non modò illud hominibus omnis generis, ſed unigenito etiam Filio tuo, pro ſalute noſtra de puriſſima Virgine incarnato, in cibum & alimentum ſervire voluerit: clementiam tuam humiliter imploramus, ut à ſubſtantia butyri hujus vim omnem, fraudémq;

viru-

virulenti hostis benignus avertas: nihil hìc nocumenti, nihil mortiferæ corruptionis inferre præsumat, sed quod fidelibus tuis ad humanæ indigentiæ remedium contulisti, integrum illis, inviolatum ac incorruptum servetur, ut cum digna gratiarum actione sumentes, vitæ suæ ac sanitati prodesse sentiant ac lætentur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Exorcismus pro lacte.

ECce Crucem † Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda, radix David. Exorcizo te creatura lactis in nomine Dei Pa † tris omnipotentis, & in nomine Jesu Christi Fi † lii eius Domini nostri, & in virtute Spiritus † sancti, ut fias lac exorcizatum in salutem fidelium, & sis omnibus ex te sumentibus sanitas animæ & corporis, & effugiat atque discedat à te nequitia omnis ac versutia diabolicæ fraudis, omnisque nocendi facultas in te quovis modo per ministros Sathanicos introducta. Per eum,

qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Exorcismus pro Butyro.

EXorcizo te creatura butyri, per Deum † vivum, per Deum verum † per Deum † sanctum, per Deum qui hominibus ab initio pro sua bonitate ad usus vitæ huius corruptibilis butyrum de armento dedit, & lac de ovibus: ut nihil in te loci habeat adversâriæ cuiuscunque virtutis operatio, nihil in te potestatis malitia sathanæ, nihil ars damnata quorumvis utriúsque sexus illi impiâ ac nefariâ societate adhærentium, ut quovis modo substantiam tuam minuant, vel corrumpant, vel quacunque ratione hominibus noxiam reddant: præstante illo & servante, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Alius generalis Exorcismus.

ADjuro te, quicunque es quietis humanæ Perturbator, per Pa†trem, & Fi†lium, & Spiritum † sanctum, ut

ut nocere desinas huic domui, neque audeas malefacere frugibus, & omnibus, quæ in domo sunt, frumento, vino, oleo, lacti, Butyro, caseis, ovis, vel animalibus, cæterisque omnibus ad hanc domum pertinentibus. Hoc tibi imperet Dominus Jesus Christus per suam sanctam Nativitatem, Baptismum, jejunium, & per amarissimam Passionem, crucem & mortem; denique per sanctam suam resurrectionem, ascensionem in cælos, & Spiritus sancti Missionem. Cogant te suis precibus & meritis apud Deum exequi mandatum istud, beatissima Virgo & Mater ejusdem Domini nostri Maria, & S. Josephus, novem Chori Angelorum, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Evangelistæ, Martyres, Confessores, Virgines, & viduæ, & omnes sancti & sanctæ Dei, quorum hæc domus, & omnia ei contingentia cum omnibus habitantibus in ea sit protectione & custodiâ contra omnes insidias inimici munita. Per eundem Dominum nostrum, &c. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui ad ſervandam inter homines pacem, furtum facere, & rem proximi concupiſcere prohibuiſti, obſecramus clementiam tuam, ut omnes, qui, quod injuſte concupiſcunt, dœmonis adjutorio proximis ſuis auferre nituntur, dexteræ tuæ virtute coërceas, & hiſce famulis tuis, qui conceſſis à te vitæ ſuæ ſubſidiis ad honorem tuũ frui deſiderant, ſanctorum Angelorum concede præſidium, qui dæmonum poteſtate repreſsâ maleficos injuſtorum hominum conatus, quos eorum adjumento perficiendos exiſtimant, irritos reddant & fruſtraneos. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Exorciſmus.

EXorcizo te immunde Spiritus, qui ad turbandam Chriſtianorum quietem, & ad injurias in bonis temporalibus inferendas, hominibus tuâ fraude deceptis, auxilium præbes, per Judicem vivorum, & mortuorum, ut ab hac domo & familia, omnibúsque ad eam per-

pertinentibus recedas, nec quidquam eorum, quæ ad illam spectant, attingere vel auferre præsumas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcizo te per æternam Dei justitiam, ex qua lex illa, quâ suum cuique dandum esse statuitur, emanavit; ut omnibus Promissionibus, pactis, artibus, signisque, quibus te quasi astrictum & obligatum simulas, dissipatis, divinæ sæveritatis in te exercendæ formidine, omnia, quæ hujus familiæ sunt, salva & intacta dimittas. Recede ergò hinc divinæ legis transgressor, hominúmque perturbator, & Angelis sanctis, quorum tutelæ familia ista commissa est, te propellentibus fuge, nec eam in sua quiete ac bonis lædere, aut ulteriùs molestare præsumas, invocato contra tuam malitiam nomine Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Aspergantur deinde aquâ benedictâ. Possunt etiam his aptari, quæ habentur contra noxia animalia, & vermes, &c. Facilè etiam poterunt hi exorcismi accommodari variis

rebus ad usum hominum spectantibus rate magicâ & diabolicâ veneficiatis.

Monebit & instruet Sacerdos in lacticiniis operam præstantes, ut dum ad opus lactarium separant, in se excitent fiduciam in Deum, reciténtque attentè & religiosè orationem Dominicam, & salutatiouem Angelicam cum symbolo fidei, & muniant se, & opus suum signaculo sanctæ Crucis, aspergant aquâ benedictâ, & ipsis lacticiniis imponant aliquid salis benedicti, accendant cereum benedictum.

Docebit etiam, multas pias fœminas plurimum auxilium invenisse contra omnes maleficiorum infestationes, quod ex iisdem lacticiniis, vel aliis rebus, consuevissent aliquam partem dare pauperibus ad Dei gloriam in Christiana charitate, cum recta intentione, pióque animo.

Benedictio Annulorum S. Josephi.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cælum & terram*

Sit

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*
℟. *Ex hoc nunc & usque in sæculum.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

DEus, cuius verbo sanctificantur omnia, quæ vel facimus, vel percipimus effunde, quæsumus, benedictionem † tuam super nos, & super hos Annulos, ut per interceſſionem B. Mariæ ſemper Virginis, & ejus Sponſi Joſeph; quæcunque præſentis vitæ neceſſitas piè poſtulat, miſericorditer cum gratiarum actione aſſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, largitor bonorum omnium, ſalus & vita noſtra: te ſuppliciter exoramus, ac petimus, ut hos Annulos, quibus Jeſu, Mariæ, Joſeph, ſanctiſſima nomina, Imagines, & alia pia ſigna impreſſa ſunt: benedicere †, & ſancti † ficare di-

gneris; ut qui eos ſecum devotè geſtave-rint, vel domi ſuæ aſſervaverint, per merita ſanctæ matris Virginis, & per interceſſionem S. Ioſephi, Jeſu Nutritii, ab omni peſtifera lue, & ab omni morbo contagioſo præſerventur, corporis item & animæ ſanitatem continuam conſequantur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, verum animarum corporúmque medicum: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti, per infinita ſæculorum ſæcula. ℟. Amen.

Oremus.

BEne † dic, quæſumus, Domine, Annulos hos, quos & ego in nomine tuo, & beatiſſimæ Virginis Mariæ, ac ſancti Ioſephi ſponſi, bene † dico, & ſancti † fico in nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritûs † ſancti. Amen.

Sanctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi, quæſumus Domine, meritis adjuvemur; ut, quod poſſibilitas noſtra non obtinet; ejus nobis interceſſione donetur. Qui vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum Amen.

Ore-

Oremus.

DOmine Deus Omnipotens, descendat Benedictio † Patris, & Filij † & Spiritûs † sancti, super hos Annulos, ut quicunque eos portaverint, sint liberati â peste, morbo, difficili partu, & ab omni factura, ligatura, signatura, præstigio, incantatione, & illusione, ab omni tentatione, timore, & pusillanimitate ab omni discordia, & animi perturbatione, & ab omnibus artibus diabolicis, & suorum ministrorum, & finaliter ab omnibus periculis animæ, & corporis, & ab omnibus inimicis visibilibus & invisibilibus, & accipiant sanitatem mentis, protectionem corporis, tutelam salutis, integritatem charitatis, consolationem spei, roborationem fidei, & præcipuè in hora mortis virtutem constantiæ, & visitationem Spiritûs sancti. Per eundem Dominum, &c. Amen.

Tales, aut similes Benedictiones poterunt etiam quibuscunque aliis, Fraternitatum signis, & cæteris quibusvis rebus, mutatis, mutandis facilè applicari.

XI. Be-

XI.

Benedictio Aquæ pro infirmis: Imprimis benedicatur aqua, ut suprà in benedictione ordinariâ; deindè addantur sequentes Orationes.

Oremus.

DEus, qui ad salutem humani generis, maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic, quod B. Josephi meritis consignamus, virtutem tuæ bene† dictionis infunde, ut per interceſſionem ejusdem, hæc unda sit fidelibus tuis in remedium salutare, dæmones ab eis reiiciens, morbos ac infirmitates Corporis & animæ repellens, & præsta, ut quicunq; eam sumpserint, vel ea aspersi fuerint, ab omni adversitate animæ & corporis liberentur, & utriusque hominis recipiant sanitatem. Per Christum, &c.

Ore-

Oremus.

TE Adonai, DEus Magne, Alpha, & Omega, humiliter deprecor; ut huic aquæ pro tua pietate virtutem ſanandi omnem languorem tribuere digneris, ſimul ac conferendi omnibus ex ea utentibus ſanitatem mentis, protectionem corporis, tutelam ſalutis, integritatem charitatis, conſolatiouem ſpei, roborationem ſidei, virtutem conſtantiæ & viſitationem Sancti Spiritûs. In Nomine SS. Trinitatis, Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritûs † ſancti, nec non ſacratiſſimæ Virginis Mariæ, omnium Angelorum, Sanctorum, atque Sanctarum. Amen.

O Pijſſima V. Maria humani generis Advocata: ecce appono hanc aquam in conſpectu tuo, téque humilirer deprecor, ut intercedere digneris apud unigenitum Filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quatenus huic aquæ concedat virtutem ſanandi omnes infirmitates, & omne malum, quod poteſt miſeris evenire infirmis. Suſcipe clementiſſima, vota noſtra, & ſicut es ſalus

infir-

infirmorum, ita nunc impetrare dignare: ut hæc unda ſit remedium ſalutare quibuslibet ægrotantibus, ut, ſanitate receptà utriúsque hominis, perenniter deſerviant Filio tuo, Domino noſtro. & ejus Patri; qui cum eo vivit & regnat Deus, &c.

Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, ut veſtris deprecationibus Bene✝dictio, & gratia omnipotentis Dei, deſcendat in hanc aquam. Bene✝dico te aqua, cum benedictione tibi data, quando Chriſtus in Jordane fuit à Joanne baptizatus. Be✝nedico te aqua, cum Privilegio, quo decorata fuiſti, quando à Chriſto in vinum converſa fuiſti. Bene✝dico te aqua, cum virtute, quæ tibi data fuit, in natatoria Siloë. Benedico ✝ te aqua, per ſacra myſteria in te repræſentata, quando cum ſacratiſſimo ſanguine de latere Chriſti in Cruce fluxiſti. Bene✝dico te aqua, per pretium Paſſionis Chriſti, per puritatem ejus Virginis Matris, per humilitatem Patriarcharum, per devotionem Prophetarum, per tolerantiam Apoſtolorum, per conſtantiam Marty-

Martyrum, per fiduciam Confeſſorum, per perſeverantiam Virginum, per continentiam Viduarum, per merita omnium Electorum DEI, & auctoritate Sacerdotali; in te infundo omnem ſpiritualem virtutem, quâ omni contagioni reſiſtere, & quemcunque ab ea oppreſſum ſanare poſſis. In Nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & *S*piritus✝ ſancti. Amen.

FA-

FASCICULUS XIV.

In quo

Quæstiones Doctrinæ Christianæ, seu Rudimenta fidei pro erudiendis Parvulis.

Ex Manuali Sodalitatis B. M. V. visitantis Elisabeth, Viennæ in Seminario S. Pancratii. Et aliis.

Modus Catechizandi Petri Forerij.

PEtrus Forerius, ut Doctrina Christiana magis perciperetur, & novitate quàdam Populus alliceretur, Theatrum erexit in templo à nonnullis selectioribus puerulis ornatiore cultu vestitis occupandum, qui in eodem vel de aliquo fidei puncto disceptarent vel peccatum cum omni sua fœditate depingerent; præterea pœnas, quibus iratum Numen in illud desævit, adducerent; tum

tum ejusdem fugiendi rationes, nec non aliquam in eâdem materiâ terribilem Historiam subjungerent, palàm etiam conteſtarentur, potiùs se mortem subituros, quàm ejusmodi scelus admissuros. Post hæc ipse loquens sermonem ad parentes convertit ex eisdem sciscitatus, utrum non afficerentur pudore, quòd eorum infantes majorem rerum Christianarum notitiam, quàm ipsi essent nacti; an etjam deinceps tam ignavi essent futuri, ut ipsi, quod eorum liberi morte pejus execrarentur, admittere velint? & hæc omnia tanta cum Emphasi proferebat, ut nemo non contritus, & lachrymabundus discederet: desiderium etjam aliquid addiscendi tam erat grande, ut vespertino tempore Parentes suos liberos seorsum abducerent, illósque, munusculum offerendo hortarentur, ut eadem repeterent, ut hâc ratione melius singula ipsimet in memoria retinerent. vita l. 1. c. 8.

(o)

Præmonitio.

Nicolai Turlot de Obligatione juventutem in Doctrina Christiana erudiendi. Part. 1. sec: 4. &c.

PArochus & quilibet animarum curam obtinens, si notabiliter in Cathechisando sibi defuerit. *Primò* peccat gravissimè contra justitiam, quia Officium suum non facit, in aliquo ejus principali puncto deficiens, quod est fidei rudimenta ignorantes subditos docere. *Secundò*, peccat etiam maximè contra charitatem, quia Christi oviculas sinit ex ignorantia & cæcitate per devia errare, & in barathrum tandem præcipites corruere, quas prætensâ tantillum Doctrinæ Christianæ face poterat minimo negotio adjuvare, & ad verum tramitem, imô ad cælum reducere. *Tertiò* non minùs etiam peccat contra religionem, quia Dei cultum non promovet, ejus gloriam non quærit, pro ipsius propagando regno non decertat, permittens ignaviâ suâ Satanam ex hominum simplicitate rem suam agere, fines dilatare, animásque pretio magno; id est, Agni immaculati san-

sanguine emptas in miseram captivitatem abducere. Magnum proinde est Sacerdotum, præsertim eorum, qui Parochialibus Ecclesiis præsunt, periculum; Ponamus, inquit S. Gregorius hom. 17. in Evang. ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo Judex veniet, & rationem cum servis suis, quibus talenta sua credidit, ponet Ecce in Majestate terribili inter Angelorum atque Archangelorum Choros videbitur. Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achajam. Ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectu sui Judicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis Arietes cum animarum lucris apparebunt, qui Sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cùm igitur tot Pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint. Nos miseri, quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus? qui Pastorum nomen habuimus, & oves, quas

& nutrimento noſtro debemus oſtendere, non habemus ? Ingrediuntur electi Sacerdotum manibus expiati cæleſtem Patriam, & Sacerdotes ipſi per vitam improbam ad inferni ſupplicia feſtinant. Cui ergò rei, cui ſimiles dixerim Sacerdotes malos, niſi aquæ Baptiſmatis, quæ peccata baptizatorum abluens illos ad regnum cæleſte mittit, & ipſa poſtea in cloacas deſcendit. Hæc & plura ibi Greg. lectu digniſſima, & factu neceſſaria. Quid igitur faciemus ? & quomodo nos contra tanta pericula præmuniemus? Placeant conſilia, imô veriùs præcepta, quæ dat ſummus Eccleſiæ Paſtor S. Petrus ſibi ſubditis Paſtoribus ; Ep. 1. c. 5. Paſcite, inquit, qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſponteneè ſecundùm Deum : neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè ; neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam

Amen.

Instructio Parvulorum.

Quæstio 1.

QUid est Deus? ℟. Deus est summum æternum, infinitum Bonum, à quo omne bonum profluit. Vel sic: Deus est supremus Dominus cæli & terræ, qui maxima & minima creavit; videt omnia qui dedit oculos, audit omnia, qui dedit aures; scit omnia, qui dedit unicuique intellectum.

Quæstio 2. *Quid est homo?* ℟. Homo est Esca vermium, saccus stercorum, pulvis & nihilum.

3. *Quid est anima?* ℟. Est per quam homo vivit, sentit, intelligit: Anima tua es tu, qui per hos oculos aspicis, per has aures audis, per hanc linguam loqueris, per hoc caput intelligis, hoc tuum corpus, cùm per morbum, aut per aliquem casum destruetur, tu ex illo, veluti ex domo ruente, debebis exire, & sisti coram Domino Deo, qui requiret â te quomodo hîc vixisti, Deum neglexisti, templum non frequentasti, maledixisti, &c. tunc recipies mercedem juxta opera

tua, poſt diem autem judicii, totus cum corpore & anima, vel vigebis in cælo in deliciis æternis, vel ardebis in inferno ſine fine, ſine fine, ſine fine.

4. *Quid eſt Diabolus?* ℟. Eſt malus Spiritus, à Deo ex cælo propter ſuperbiam & inobedientiam dejectus: eſt noſter hoſtis. &c.

5. *Quare creavit Deus hominem in hunc mundum?* ℟. Non ideò, ut bona congregaret, honores, & dignitates, voluptatésque ſectaretur, ſed ut ipſum tanquam Dominum & Deum ſuum cognoſceret ac amaret, eique cuſtodiendo mandata obediret; & ſic amando & parendo ei, aſſequeretur vitam æternam, & locum Angelorum Apoſtatarum impleret.

6. *Cur Deus creavit cælum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt?* ℟. Omnia creavit Deus propter hominem, utp er ea, tanquam media, finem ſuum aſſequeretur. Imò Angelos de cælo ad ipſius etiam miniſterium deſtinavit, & quod plus eſt, ſeipſum quoque præſentem ubique adjutorem hunc in finem obtulit.

7. *Quid avertit hominem ab ipſo fine?*

℟. Pec-

℟. Peccatum, id est: cum aliquis mala cogitat, mala loquitur, mala operatur, nec curat vivere secundum legem Dei.

8. *Quomodo recuperat iterum gratiam Dei, & aditum ad vitam æternam?* ℟. Per veram Pœnitentiam; unde homines ideò confitentur peccata sua Deo coram Sacerdote, ut ipsis dimittantur. Cùm ergò per Peccata, & offensas Dei, quæ committuntur agendo contra voluntatem Dei, & præcepta ejus, perdatur gratia & amicitia Dei, & incurratur damnatio; itáque necessarium est ad conservandam amicitiam Dei observare legem ipsius.

9. *Quis te in hunc mundum induxit?* ℟. Deus, Pater meus cælestis.

10. *Deus ne tuus Pater?* ℟. Ita, ille mihi creatione, & pietate est Pater; & ideò debeo ipsi esse bonus & obediens Filius.

11. *At quæ tibi est Mater?* ℟. Est sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia, in qua sola Deo nascimur, & salvi simus.

12. *Qui tui sunt Fratres;* ℟. Christia-

ni omnes Catholici, pauperes æque ac divites.

13. *Unde illos noſcis?* ℟. *Ex* ſigno S. Crucis, & quod fide, & obedientiâ ſe filios Eccleſiæ Romanæ communis Matris profiteantur.

14. *Quomodò formant crucem?* ℟. contractâ in pugnum manu ſolo extenſo pollice formant in fronte crucem à ſiniſtris ad dexteram dicendo: In nomine Pa✝tris. *Secundò*, ſuper os dicendo: & Fi✝lii. *Tertiò*, ſuper pectus: & Spiritûs ✝ ſancti. Amen.

15. *Cur faciunt crucem à ſiniſtris ad dexteram?* ℟. Quia per ſiniſtram ſignificatur peccatum & maledictio, per dexteram verò gratia; Chriſtus autem per mortem crucis nos à peccato & maledictione liberatos gratiæ reſtituit.

16. *Cur nominas Deum Patrem in fronte?* ℟. Aliis prætermiſſis rationibus, ideò, ut, cùm ibi ſit noſter intellectus, illo die, vel in illo opere, ante quod ſignum crucis facimus, nihil mali faciamus, & non ſimus ſicut beſtiæ, nec terrena cæleſtibus, temporalia æternis præponamus; aut pro-

propter leve, & exiguum commodum amittamus æternam vitam, & mereamur æternum ignem.

17. *Cur in ore nominas Deum Filium?* ℟. Ideò, quia Filius vocatur verbum cæleſtis Patris, ut ipſe cuſtodiat os noſtrum, ut eo die, vel in illo opere nihil mali loquamur.

18. *Cur in Pectore Spiritum ſanctum.* ℟. Ideò; ut qui eſt Pater, & conſolator omnium cordium, ipſe corda noſtra cuſtodiat; ut nihil mali cogitemus, & non exeant è corde noſtro mala deſideria, odia, &c.

19. *Cur teſignas Cruce, & ad quid utile ejus ſignum?* ℟. Ut profitear me eſſe Chriſtianum credentem in SS. Trinitatem quam voce exprimo, & in Chriſtum, ejúſque Redemptionem per Crucem quam figuro. Tum excitatur in me etjam memoria Paſſionis, & ſpes per crucem obtinendæ remiſſionis peccatorum. Ad hunc enim effectum in Turribus Eccleſiarum locatur crux geſtans gallum, ut peccatores memores peccati Petri, & veniæ per Crucem obtentæ excitentur ad

ſpem & pœnitentiam. Similiter morituris exhibetur Crucis ſignum, ut de ſuis meritis diffiſi ſpem omnem reponant in Crucifixo. Tum etiam, ut repellatur Diabolus, tentationes, motus pravi cordis, & carnis, infauſta omnia, & pericula peccati. Denique iuxta magnum illum Athanaſium : ſigno crucis omnia magica compeſcuntur, & veneficia inefficacia ſunt, &c.

20. *Cur infauſta Crucem fugiunt ?* ℟. Virtute & meritis ſic invocati Chriſti in ea paſſi.

21. *Cur Diabolus ?* ℟. Similiter ; & quia per eam devictus eſt.

22. *Credis ne eſſe Deum ?* ℟. Credo Deum eſſe in mundo, & ubiq; ; qui mundum ipſum creavit, conſervat, & gubernat ; qui punit malos igne æterno in inferno, & præmiat bonos gloriâ æternâ in cælo.

23. *Quot ſunt Dii*, ℟. Unus eſt Deus ; ſicut in cælo unicus eſt ſol, in Regno unus Rex, in homine una anima.

24. *Eſt ergò unus Deus tantum ?* ℟. Ita eſt unus ; ſed ſimul trinus, id eſt, unicus Deus in tribus perſonis.

25. *Quod*

25. *Quod nomen est his tribus personis divinis?* R. Primæ Pater, secundæ Filius, tertiæ Spiritus sanctus. Pater est Deus, Filius Deus est, Spiritus sanctus est Deus; verùm non tres sunt Dii, unus tribus in personis Deus est. Æquè potentes, sapientes, antiqui; unus non prædominatur aliis; quia sunt unus idémque Deus.

26. *Quomodò istæ tres personæ uno nomine vocantur?* R. SS. Trinitas.

27. *Quâ similitudine explicabis, quod, cùm in Deo tres sint personæ, nihilominus sit unicus Deus.* R. Explico hâc Eusebii trium facularum similitudine, quæ si jungantur accensæ, non tres flammas, sed unam referunt, non tamen una fax, sed tres sunt faces. Vel taliter: si speculum sub aquas collocaveris, sol in eo relucens, alteram solis imaginem in aqua producet, ac illicò tres soles spectabiles erunt, unus in cælo, alter in speculo, tertius in aqua. Primus lucem habet à seipso, secundus à primo. Tertius à primo & secundo communicatum habet splendorem. Et tamen

Narodna in univerzitetna knjižnica Ljubljana

men non tres ſoles, ſed unus tantum exiſtit.

28. *Quis natus de Maria Virgine? quis pro nobis crucifixus, an Pater, vel Filius, aut Spiritus ſanctus?* ℟. Nec Pater, nec Spiritus ſanctus, qui corpora, id eſt, carnem & oſſa non habent, cùm naturam humanam non aſſumpſerint, nati vel crucifixi ſunt, ſed Filius Dei, ſecunda in Trinitate perſona, Chriſtus Jeſus, qui natus ex Maria Virgine, crucifixus & mortuus fuit pro nobis miſeris peccatoribus, ut ſatisfaceret Patri æterno pro peccatis Adam primi Parentis, & noſtris, & meretur nobis gratiam Dei, & gloriam paradiſi: aliàs ob peccata primj parentis & noſtra propria damnaremur omnes. Ideóque feſtum Natjvitatis Domini celebratur ubi memoria recolitur, quomodo Filius Dei factus ſit homo: In Paraſceve, quomodo crucifixus; In Reſurectionis feſto, quomodò reſurrexit; In Aſcenſione, quomodò cœlos aſcendit; Idémque in fine mundi deſcendet de cœlo, ut judicet omnes, & qui mortui ſunt, & qui vivunt; bonis dabit cœlum, malis infernum

nnm. Et ideò homines modò debent confiteri, peccata ſua cum dolore, quod Deo non obediverint: & cum propoſito ea vitandi, ut ipſis dimittantur, ne poſtea propter illa, in æternum damnentur.

29. *Cum ergo Deus Pater non ſit homo, neque corpus, ideſt, Carnem & oſſa habeat, ſed Spiritus Omnipotens undique diffuſus eſt; cur igitur depingatur in forma Senis?*

℟. Quia in tàli forma apparuit Danieli. Cap. 7.

30. *Cur Spiritus Sanctus depingitur in Specie columbæ?*

℟. Quia taliter ſupra Chriſtum apparuit. Matth. Cap. 3.

31. *Debemusne credere Deum eſſe?*

℟. indubitatâ fide credendum eſt.

32. *Undè habes hoc?* ℟. Ex ſymbolo S. Athanaſij, ubi dicit: Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicã fidem, quam niſi quisq; integram inviolatamque ſervaverit, absq; dubio in æternum peribit. Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatẽ in unitate venerẽur.

33. *Quid*

40. *Nonne* S. *Joseph fuit ejus* Pater? ℟. Nullo modo; sed solùm Nutritius fuit.

41. *Quare Christus in hunc mundum venit?* R. Ut nos redimeret.

42. *Fuimus ergo aliquando venditi?* ℟. Ita, Diabolo ab Adam & Eva.

43. *Quanti?* ℟. Uno pomo, quod comederunt contra mandatum Dei.

44. *Ergo fuit pomum tam malum atq; amarum?* ℟. Pomum in seipso, sicut caro diebus vetitis, non erat malum, sed bonum & à Deo creatum. At quia comederunt illud, ut dixi, contra mandatum DEI, factum est amarum & acerbum ita ut obstupuerint etiam dentes filiorum.

45. *Quomodo nos Christus redemit.* ℟. Passione & morte in Cruce.

46, *Quomodo passus est, cùm sit verus Deus?* ℟. Secundùm humanam naturam, corpus & animam. Deitas autem pati non potest.

47. *Ubi est ejus SS. Mater Virgo Maria?* ℟. In Cælo proxima suo Filio.

48. *Placetne Deo, ut ipsam colamus?* ℟. Plu-

℟. Plurimùm; nam ipse Filius Jesus & honorat, & vult honorari suam Matrem.

49. *Quomodo debemus illam colere?* ℟ Salutatione Angelicâ, Rosario, Reverentiâ ad nomen & imaginem ipsius, ac invocatione.

50. *Quid consequuntur ipsam colentes?* ℟. Ipsius interceſſionem, & assistentiam præcipuè in hora mortis.

51. *Ergò nobis moriendum est?* ℟ ita nemine excepto.

52. *Moriuntur etiam animæ nostræ?* ℟. Non.

53. *Quo igitur deveniunt post mortem?* ℟. Ad Christum, ut ab ipso secundùm merita iudicentur; inde eunt vel in Cælum, vel in infernum, vel interim in purgatorium.

54. *Nunquid omnes ad æternam beatitudinem conditi sumus?* ℟. Omnes omninò, neminem enim Deus creavit ad æternam damnationem.

55. *Nunquid omnes æternam vitam consequentur?* ℟. Nequaquam, quia non omnes utuntur mediis, quibus ad eandem pervenitur.

56 *Qualia sunt hæc media?* R. Observare mandata Dei Matth. 19. qui enim hæc servaverit, beatus erit, qui vero ea prævaricatus fuerit, in eaq; prævaricatione permanserit, condemnabitur. Itē Deum amare, illi soli servire, & illum semper quærere, & sic quærendo, amando, & serviendo usque ad finem perseverare; servus enim, qui usque ad terminum in servitio suo haud permanet, mercedem non consequitur. At qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Matth. 10. Ait etiam S. Gregorius l. 1. Moral. c. 40. Incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur.

57. *Ergò non omnes in Ecclesia Catholica salvabuntur?* R. Ah! non, quia vel unicum peccatum mortale claudit nobis cælum.

58. *Qui ergò ibunt in Cælum?* R. Qui moriuntur in Dei gratia & satisfecerunt pro pœnis peccatorum.

59. *Qui in infernum?* R. Qui in peccato mortali moriuntur.

60. *Qui in Purgatorium?* R. Qui quidem

dem in Dei gratia moriuntur, sed pro pœnis peccatorum non satisfecerunt.

61. *Quomodo satisfacimus in hac vita?* ℟. Oratione; jejunio, sub quo comprehenduntur omnes afflictiones & Passiones pro Christo: Et eleemosynâ, sub qua omnia opera misericordiæ & charitatis continentur.

62. *Ergò non sufficit in Christum credere?* ℟ Non; sed fidei oportet accedere charitatem, & bona opera.

63. *Sed quis sciet, si occultè malè agamus?* ℟. Deus, & posteà totus mundus.

64. *Quando?* ℟. In die judicij; ubi resurgemus omnes, corpora reassumemus, & coram eo ad reddendam ei totius vitæ rationem, comparebimus. Qui ejus bene observaverint mandata, sanctè vixerint, securi gaudebunt, eôsque unà secum deducet in Cælum, ut deliciis omnibus, honoribus, atque oblectamentis fruantur æternùm. Verùm ij, qui mortalia commiserint, ut blasphemi, testes falsi, vindicativi, luxurioſi, fæminæ impudicæ, latrones, fures, debita non exolventes, injustè litigantes, similésque

alii à Deo in infernum, ubi æternaliter ardebunt, Conditorem ſuum nunquam viſuri ampliùs, abſque ullo dubio deijcientur.

65. *Quales in inferno habebunt ſocios?* ℟. Canes infernales, hirſutos, rabidos, rictu ingenti, ſerpentes, & capricipites horrendos Dæmones.

66. *Quid ſimul agent?* ℟. Coquentur igne terribili, aſſabuntur, ejulabunt, & ſtridebunt dentibus, ſicut è contrà in Cælo cum Angelis boni fruentur voluptate infinitâ. Hoc Deus ſapientiſſimè decrevit, ut quod beatos omnes mirificè oblectabit, ejus contrarium damnatos incredibiliter excruciet. Cæleſtes modulos, ac Beatorum Muſicam commendant ſæpiùs ſacræ paginæ, quippe inter omnes etiam exteriores ſenſus, ſuâ quiſque voluptate perfundetur: ſic apud inferos ſingulariſſimum erit tormentum perpetim audire tot centenorum millium in perpetuas æternitates occinentium luctuoſiſſimum illud, væ! væ! væ!

67. *Et quàm diu durabunt tam magna gaudia Beatorum, & tam horrenda tormenta*

menta damnatorum? ℟. Quamdiu Deus erit Deus, ſemper, æternùm.

68. *Quid eſt æternum*? ℟. Quod nullum unquam finem habere poteſt.

69. *Quid ergò faciendum ei, qui malè egiſſet*? ℟. Confitendum; & ſi non poſſit, dolendum ac pœnitendum ex amore Dei offenſi. Ut autem benè quis confiteatur, duo ad minimum præſtanda: Primum ac principale, ubi ſæpiùs reperitur defectus, eſt, ut priuſquam Sacerdoti te præſentes, ſæpiùs magnóque cum affectu Deum depreceris, ut tui miſereatur, te convertat, cor tangat, contritionem donet; ut tuam agnoſcas miſeriam, cùm à pravo ſtatu illo teipſum erigere nequeas; ut auxiliatricem tibi manum porrigat. Roganda eſt Diva Maria Virgo. Implorandi ſancti, faciendæ Eleemoſynæ, aliáque hanc ad intentionem pia opera ſunt præſtanda: dolor ingens concipiendus ob Deum, infinitè bonum atque amabilem in ſe, peccatis offenſum; veráque debet ade[illegible]luntas, ampliùs, mediante ejus gra[illegible]nquam ipſum offendendi. Deinde Sacerdoti omnia

ſunt detegenda peccata, nulla occultanda; ne verearis. Confeſſarii hâc in Miſſione, magnâ cum dulcedine, atque affectione, grandia licet, infamia, ac numero multa veſtra ſint delicta, excipient, vos abſolvent, ut Deo animas veſtras lucrentur. Non vos cognoſcunt, nunquam viderunt, nec viſuri ſunt; cùm peccata eis confeſſi fueritis, liberati eſtis; nunquam, nec in mortis horâ, nec alio in Iubilæo repetenda.

70. *Quid eſt Confeſſio?* ℟. Eſt manifeſtatio ſuorummet peccatorum facta legitimo Sacerdoti cum dolore, & propoſito ſerio emendationis.

71. *Quis eſt optimus confitendi modus?* ℟ Præcipuè ſecundū decē præcepta, ſupplendo reſidua ex peccatis capitalibus, cum reflexione ad cogitationes, verba, & opera.

72. *Qui ergò Confeſſionē iniret ſine pœnitudine, & ſine propoſito emendationis: quid ei contingeret?* ℟. Confeſſio nihil prodeſſet.

73. *Quid ſi peccata mortalia reticeret, ac ſola venialia confiteretur?* ℟. Sic rem faceret deteriorem: quia illis retentis novum mortale acquireret.

74. *Quan-*

74. *Quando tenemur confiteri?* R. Post usum rationis cognoscentis malitiam communiter ab anno septimo, quotannis, & ante mortem.

75. *Quid ante, in, & post Confessionem observandum?* R. Ante Confessionem peto à Deo cognoscere peccata, eo modo sicuti paulò ante me instruxisti; examino me quantùm satis est, ne quid grave possim omittere. Ante Confessionale aliquid oro flexus, tum gravis adsto, & accedo, ac ad Sacerdotis latus genuflexus me Cruce signo, & dico; Benedic Reverende Pater. Et oro generalem Confessionem. Tum cum signis doloris me accuso, & recenseo peccata, & graviorum numerum. Ultimò attendo ad Sacerdotis admonitionem, & pœnam injunctam noto. Recedo gravis, ac statim genuflexus oro gratias & preces post Confessionem, ac vel totam, vel partem pœnitentiæ impleo; consideròque paulisper quomodò me emendem; & ad id deinceps attendo, maximè ante Communionem, ne indignus accedam.

76. *Quis indignè accedit ad Communionem?* R. Conscius peccati mortalis.

77. *Sumusne obligati communicare ?* ℟. Sumus ſemel in anno omnes poſtquam pervenimus ad ſufficientem diſcretionem, quà cognoſcimus, quâ cum reverentiâ id ſit faciendum; quæ diſcretio incipit poſt ſeptennium, ita ut ultra annum duodecimum non ſit differendum.

78. *Quid datur nobis cum ad altare accedimus, & quid ſumimus communicando in ſacra hoſtia ?* ℟. Verum Chriſti corpus vivum cum ſanguine, & anima, ac Deitate ipſius, ſicut nunc eſt in Cælo : nam dum per verba Chriſti conſecratur panis, fit ex pane corpus Chriſti & ſanguis; & dum vinum in Calice conſecratur, fit ſanguis & corpus Chriſti. In utroque integer Chriſtus cum anima & divinitate. Et ſicut in ſpeculo, vel in aqua tota facies hominis apparet; ſic etiam ſub ſpecie panis & vini, totus Chriſtus continetur.

79. *Nonne hoſtia eſt panis.* ℟. Poſt conſecrationem, ut dixi, ceſſat eſſe panis, & remanent ſolùm ſpecies panis.

80. *Quomodò poſſunt manere ſpecies ſine pane ?* ℟. Per Dei potentiam. Et ſicut in ſpeculo ſunt tui ſpecies, tu tamen non es in ſpeculo; ita ſub ipſis ſpeciebus panis non eſt panis, ſed eſt Chriſti Corpus. 81

81. *Estne totus sub quavis particula : vel dividitur cum illis Christi Corpus ?* ℟. Est totus Christus in tota Hostia, & totus in quavis parte, sicut anima in corpore ; Et sic non dividitur, sed in quavis divisa totus remanet. Sicut cùm te vides totum in speculo integro, illo fracto vides te totum in quavis eius parte.

82. *Ad quid homines corpus Christi sumunt ?* ℟. Ut animæ ipsorum sanctificentur, & pascantur ad vitam æternam.

83. *Quare sub specie panis venit ad nos Christus ;* ℟. Ut ostendat, quod sicut panis nutrit, auget, ac roborat Corpus ; ita Christus animam communicantem.

84. *Quid est illud quod Minister sacri, seu Ædituus dat bibendum communicantibus ?* ℟. Vinum ad faciliùs deglutiendum sacram Hostiam, quia non est consecratum

85. *Quid illud, quod elevat Sacerdos in calice ?* ℟. Sub speciebus vini consecrati sanguis est Christi vivi cum corpore, anima, & divinitate.

86. *Quare non communicamus ex Calice sub specie vini ?* ℟. Quia satis est sub specie panis continente idem totum :

nam utrobique est Christus vivus cum corpore, & sanguine. Et ex alia parte Ecclesia prohibuit propter reverentiam ob facilem effusionem, & difficilem conservationem specierum vini in templo: & præterea quia multi non bibunt vinum neque ubique habetur pro tanto populo.

87. *Quid requiritur ante Communionem?* R. Ne sim in peccato mortali, & ut sim jejunus ab hora duodecima noctis; excepto casu viatici in infirmitate.

88. *Quid ultra agis circa communionem?* R. Prius me dispono per Orationes; tum cogito meam vilitatem, & considero *ortum meum*, quod ab hominibus prodierim ex terra: quod missus sim in terram. *Vitam meam*, quòd vivam in terra: comedam res factas ex terra, & quidquid habeam est terra. *Finem meum*, quòd sepeliar in terra, putrefiam in terra, iterum convertar in terram. Considero *quid fuerim*, nempe sanguis corruptus: in peccato conceptus: iræ Filius. *Quid sim futurus*, Cadaver insensibile; cibus & esca vermium; putredo, pulvis, & cinis vilissimus. Denique considero Christi Majesta-

jestatem, & ita dico cum Sacerdote: *Domine non sum dignus.* &c. Ac linguâ ad labia protensâ, mente solâ orans, genuflexus, ac venerabundus excipio sacram Hostiam, ac in pectus demitto. Tum insisto gratiis, orationibus, bonis propositis, ac toto illo die me magis modestè, ac piè gero.

89. *Quantum postea expectabo ne spuam?* ℟. Sufficit medius quadrans, imò quarta pars, & sine periculo Hostiam ejiciendi minùs.

90. *Quid aliud faciendum est ad bonum animæ?* ℟. Expedit Sacramentum confirmationis accipere, quod facit, & roborat militem Christi contra Diabolum, & omnes tentationes; ante susceptionem verò expiandum est peccatum mortale. Item sacro diebus festis interesse oportet, quod repræsentat passionem Christi, cujus meritorum participes facit præsentes; & in sacro reverenter attendendum, vel orandum est.

91. *Quæ est præstantissima sanctissima, & Deo, beatissimæque Virgini Mariæ omnium gratissima Oratio?* ℟. Cum Thoma de

Kem-

Kempis: Inter omnes preces & laudes Dei nihil Pater noſter eſt ſanctiùs, nihil Ave Maria dulcius, & Angelis jucundiùs. In Enchir. Monach. cap. 5.

92. *Quo Corporis ſitu oportet orare?* R. Licet nullum extet præceptum, quo corporis ſitu orandum ſit; uſitatior tamen Chriſtianorum in oratione eſt genuflexio, & manuum conjunctio; ut reos nos proteſtemur, & dignos, qui ligatis manibus & pedibus propter Dei offenſam proiiciamur in tenebras exteriores, qui hâc ratione veniam & miſericordiam deprecamur quodammodo dicentes: O Domine DEus, qui in Evangelio mandaſti miniſtris tuis hominem non veſtitum veſte nuptiali, ligatis pedibus & manibus, in tenebras exteriores proijci; noli permittere, ut manus meæ ligentur, & à facie tua proijciar, jam enim ipſe mihi eas ligavi, in flagella paratus. O parce Domine Jeſu Chriſte, & miſerere mihi maximo peccatori.

93. *Cur orantes tundimus pectus?* R. Ut nos propter ream voluntatem, & cor pravum, plagis dignos oſtendamus. Tun-

ſio

sio enim pectoris signum est pœnitentiæ & cordis contriti.

94. *Cur convertimus nos ad Orientem in oratione, & Officiis divinis in templo?* R. Quia Paradisus unde in Adamo expulsi sumus erat in Oriente; Oramus igitur antiquam requirentes Patriam, & obsecramus, ut tandem in Cælum per dignos pœnitentiæ fructus reverti possimus. Item quia Salvator noster ascendit in cælum in Oriente, prout crucifixus fuerat facie ab Oriente aversâ, & ad Occidentem conversâ, ut gentes in eum respicerent in oratione.

95. *Quid autem significat hominum diversa genu flexio?* R. Dominis temporalibus unum tantum genu flectendum est; scilicet sinistrum, quia solùm habent supra corpus dominium. Prælatis debet homo flectere genu dextrum, quia habent potentiam & prælationem suprà animam. Sed Deo, qui habet dominium super corpus & animam, duo genua debent flecti: Id est: Quia Deus est Dominus animæ & corporis, ei flectenda sunt duo genua; dextrum, in signum, quod sit Dominus ani-

animæ; & ſiniſtrum; quia eſt Dominus Corporis. Ita S. Vincen. Fer. Ideò Matth. Cap. 10. dicitur: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.*

96. *Debentne etiam rudiores, & homines promiſcui vulgi, manè præſertim, & veſperi orare?* R. Ita omnes omninò Chriſtiani (cùm aliundè teneantur Pater noſter, Ave Maria, & Credo ſcire orare) debent aliquam ſaltem orationem præmittere mane actionibus ſuis, & veſperi ſomno. Quid enim minùs poſſint, quàm exiguum hoc Domino & Deo ſuo ſervitium rependere pro cunctis beneficiis acceptis, & accipiendis; quandoquidem Dominis temporalibus multa ampliora præſtant obſequia ſervi & Ancillæ pro minima utique mercede.

97. *Oſtende ergò modum, quem ſimplices & rudes facilius capere poterunt?* R. Mane flexis genibus, facto ſigno Crucis his verbis orent:

1. Domine Deus, ago tibi gratias, quod hâc nocte me conservaveris. *Pater noster. Ave Maria.*

2. Domine, precor te, ut me hodie ab omni peccato præserves. *Pater noster. Ave Maria.*

3. Domine, offero tibi omnes actiones meas, rogans, ut eas ad nominis tui gloriam dirigas. *Pater noster. Ave Maria. Credo.*

Vesperi autem precari possent isto, vel simili modo:

1. Domine Deus, gratias ago tibi, quod hoc die me conservaveris. *Pater noster. Ave Maria.*

2. Domine, precor, ut peccata omnia hoc die commissa ignoscas; Doleo enim quod peccatis meis offenderim tuam infinitè amabilem Majestatem. *Pater noster Ave Maria.*

3. Domine, rogo, ut me hâc nocte ab omnibus Dæmonis insidiis custodias. *Pater noster. Ave Maria. Credo.*

Deinde orandus est Christus Dominus noster, ut dormienti eâ nocte adesse dignetur

gnetur cum Matre ſua ſanctiſſima, Angelo Cuſtode, ſanctiſque Patronis, ut SS. Joſepho NN. &c. ad quos, tanquam præſentes mens etiam & oratio convertenda eſt, & in tali cogitatione obdormiendum.

98. *Ad quid conducunt Sacramenta? & cur numero ſeptenario conſtant?* R. Quia Eccleſia Catholica pro ſuis fidelibus filiis nec indiget pluibus nec paucioribus. Deinde Concilium Florentinum numerum hunc congruum eſſe declarat ex proportione inter vitam Corporalem & Spiritualem. Homini enim ad vivendum, vitámque conſervandam, neceſſaria ſunt hæc ſeptem. 1. Ut naſcatur. 2. ut creſcat 3. ut alatur 4. ſi in morbum incidat, ut ſanetur. 5. Si debilis eſt in viribus, ut reficiatur. 6. Ut ſuperiores aliquos habeat, per quos regatur. 7. Ut per legitimam educatiouem prolium genus humanum conſervetur. Sic etiam in vita ſpirituali neceſſe eſt; Ut 1. renaſcatur per *B*aptiſmum ſpiritualiter, à peccato originali emundetur, & adoptetur, ac fiat filius Dei. 2. Ut per Coufirmationem proficiat, & augeatnr in Dei gratia, ac roboretur

retur in fide conſtanter ſervanda, & contra inimicos defendenda. 3. ut renatus & roboratus nutriatur divina Evchariſtiæ alimonia ad recipiendum ſpiritualis delectationis & devotionis augmentum, vel auxilia ad vincendas tentationes, & vires ad non cadendum in peccata, & ad virtutum operationem. 4. Quod, ſi per peccatum homo incurrit ægritudinem animæ, per pœnitentiam ſpiritualiter tanquam medicinam ſanetur, & perſiſtat in gratia. 5. Ut debilitas virium animæ recreëtur; ſpiritualiter etiam & corporaliter, ſi animæ expedit, homo ſanetur, atque in ultimo agone confortatus inimicos inviſibiles, qui nos in extrema hora in deſperationem ducere conantur, valeat per extremam unctionem ſuperare. 6. Ut habeat Medicos & Superiores, qui poteſtatem habeant ipſi peccata dimittendi, Chriſti corpus conſecrandi, infirmitates animæ ſanandi, & cætera Sacramenta, aliasque ſpirituales functiones adminiſtrandi per Ordinem. 7. Vt per Matrimonium numerus filiorum Dei procreetur, & religiosè educetur ad impletionem cæleſtis urbis Jeruſalem. Sacramenta igitur conducunt ad conſequendam Dei gratiam, quæ facit hominem juſtum, & filium adoptivum Dei.

99. *Suntne omnia Sacramenta æqualiter neceſſaria?* ℟. Abſolutè, & ita neceſſaria ſunt, ut ſine illis nemo ſalvari poſſit, Baptiſmus;

Pœnitentia illis, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccaverunt ordo autem eſt neceſſarius toti Eccleſiæ. Neceſſitate præcepti, ſive ex præcepto Chriſti Domini, & S. Matris Eccleſiæ eſt neceſſaria quolibet anno circa Paſcha Communio. Et moribundis extrema Unctio, ſi alia cauſa non ſubeſt. Matrimonium neceſſarium eſt illis, qui volunt genus humanum propagare, quo ipſa Eccleſia conſervetur.

100. *Cur Chriſtus Dominus inſtituit* Sacramenta? ℟. In teſtimonium ſui in nos amoris, & in remedium noſtræ Salutis. Item varias ob cauſas illa inſtituit. 1. Ut eſſent voluntatis divinæ erga nos benevolæ & beneficæ certa teſtimonia, ac fœderis ejus nobiſcum, promiſſionumque quædam ſigilla: promiſit nobis Deus peccatorum veniam, cæleſtem gloriam, æternam ſalutem &c. hanc promiſſionem Sacramentis quaſi viſibilibus ſignis voluit nobis eſſe confirmatam. 2. Ut eſſent Medicinæ, & noſtræ ſalutis remedia, ex quibus admiranda Dei erga nos terræ vermiculos bonitas elucet, quia tam facilia & efficacia nobis dare dignatus eſt. Quid eſt paucum aquæ cum levi aſperſione? quid pauca verba: *Ego te baptizo*, à quolibet homine pronunciata? Hæc tamen conjuncta adeò ſalutifera ſunt, ut in momento innumera poſſint abluere & ſanare peccata. Iterum quam pauca ſunt verba; *Ego te abſolvo*, & tamen

pec-

peccata delent, gratiam perditam reſtituunt, ſpem gloriæ in anima pœnitente producunt. O quam bene & vere S. Ambroſius affirmat: *Sacramenta*, inquit, *veluti Pontes eſſe, quibus periculoſiſſimum hujus vitæ tentationum flumen ſternitur, & ſecuriſſime pertranſitur. Scalam eſſe ſeptigradam in qua feliciſſime ad Cæleſtem Patriam aſcendatur. Armamentarium eſſe, in quo Chriſti miles neceſſariis armis contra hoſtes inſtruatur. Termas eſſe in quibus animæ ab omni ſpirituali infirmitate liberentur, atque ad cæleſtes nuptias præparentur.* Quid ergo ſunt Sacramenta niſi venæ originem trahentes è transverberato corde Jeſu Crucifixi, ſanguinem animatum, vitam ac nutrimentum per membra diffundentes? quod foret Artifex ſine opificii ſui inſtrumentis, quod Diſcipulus ſine Magiſtris & libris, hoc Chriſtiani ſine Sacramentis. Quid miles ſine armis & enſe? quid mercator ſine pecuniis, ſine pignore, ſine fide, ſine omni negotiatione? hoc Chriſtiani ſine Sacramentorum uſu: perpetuaque frequentatione. Arx obſeſſa nonne ſine commeatu facillime in prædam hoſtibus cedit ſic & anima, niſi rite ei provideatur de victualibus ſanctiſſimorum legis novæ Sacramentorum. Uno denique verbo inſtituta ſunt etiam Sacramenta ad hominis ſuperbiam edomandam, dum homo peccando, qui corporalibus ſe ſubjecit, in pœnam humiliare ſe cogitur, & ſenſibilibus

elementis ſubijcere, ac per illa remedium requirere. Quia per opera Dei magnifica homo non cognovit Deum, elegit elementa egena, quibus ſalutem noſtram operetur, & quibus ſubdatur homo, ut ab eis ſalutem depoſcat; utque ſub illis homo ſuperbus ſe humiliet & ſuperbiæ ſuæ pœnam agnoſcat. An non vides quotidie in Sacramento pœnitentiæ? Principes & Reges depoſito ſceptro & diademate, denudato capite ad Sacerdotis pedes advolvi, ibi humiliatos Sacramenta petere, agnoſcendo, ab illis judicium ſuum, veritatisque ſapientiam dependere. Notum eſt exemplum Theodoſij ad pedes Ambroſii ſe ſe proijcientis, & rogantis, ne janua ſibi occludatur veniæ, & non tantum flexis genibus ſupplicantis, ſed & humi pronum ſe ſternentis. Nunquid igitur infirma elegit Deus, ut confundat fortia, dum etiam per guttulam aquæ, dum per modicum olei conſecrati, tantas dat homini vires contra poteſtates, & Rectores tenebrarum. Vis aquæ eſt expellens Satanam, auferens ei prædam, lavans animam, ſtola juſtitiæ eam veſtiens, excutiens ſpiritum malignum, tribuens adoptionis Spiritum. Carens autem homo hac aquæ guttula, hac unctione exigua: infirmus eſt, nullas habet vires, dæmoni & inferno præda eſt. Hæc cum gratitudine recolamus, admiremur divinæ ſapientiæ opera, diſcamus ſuperbiam comprimere,

mere, exercitio humilitatis ſanctæ in Sacramentis juſinuatæ. Sicque tandem per ſenſibilia ſigna militari Albo Ducis noſtri Jeſu Chriſti inſcribimur, ut participationis æternorum ſtipendiorum digni efficiamur. *Hæc ex Fornero. Turlot. Teretio. Deliciis Paſtorum. Nucleo Catechetico. cit. manuali Viennenſi. &c.*

Amore

JESU, MARIÆ, JOSEPH.

noſtri ultimi

F I N I S.

INDEX RERUM.

A.

ABſolutio pro fidelibus defunctis. 454.
Abſolvendi diverſæ formæ. 259.
Acclamationes in generali Conventu DD. Sodalium. 29

B.

Benedictiones, Exorciſmi & conjurationes diverſi generis. 502 & ſequentibus.

C.

Corona S. Joſephi. 131
Conſiderationes 7. de S. Joſepho. 136
Cultus S. Joſephi 7. ejus gaudia, & dolores recolendo. 173
Cultus S. Joſephi ante, & poſt Communionem. 290
Conjurationes contra tempeſtates. 479
Cathecheſis parvulorum. 544

D.

Devotio ad S. Joſephum: & diverſa motiva ad eandem. 67
Devotiones pro infirmis, & ſuffragia pro fidelibus defunctis. 406
Declaratio graduum SS. Conſanguineorum Jeſu, Mariæ, Joſeph. 190

E.

Examen conſcientiæ. 244
Aliud brevius Examen Conſcientiæ. 402
Exercitium matutinum. 197
Item veſpertinum. 393

F.

F.
Forma in Commutatione votorum exprimenda. 234
Formæ diverſæ abſolvendi. 239
H.
Hymni 2. S. Joſephi pro Remiſſione peccatorum, & felici morte. 124
Item alius Hymnus cum orationibus ad S. Joſephum. 163
Hymnus ad S. Florianum M. 388
I.
Indulgentiæ, & preces pro iiſdem lucrandis.
39. Summarium Indulgentiarum. 49
Infirmi devotiones. 407
Quatuor initia. 464
L.
Litaniæ de S. Joſepho. 154
Litan. de tribus SS. Perſonis Jeſu, Maria, Joſeph. 182
Litaniæ pro fidelibus defunctis. 449
M.
Meditatio compendioſa de ortu & obitu S. Joſephi. 105
Modus bene precandi defunctis. 222
Modus eligendi ſanctum Patronum familiæ. 383
Modus catechiſandi parvulos. 544
N.
Nota circa caſus reſervatos. 236
Notanda de Off. & Miſſ. defunctorum. 456
O.
Officium parvum de S. Joſepho. 145
Off. parvum pro defunctis. 442

Oratio

Oratio votiva ad S. Joſephum. 117. Oratio in amiſſione alicujus rei 119. Orat. ad eundem in morbo, 120. Orat. pro reſignatione in divinam voluntatem 123. Orat. pro pia lectione 221
Orationes ante & poſt communionem. 230 ante & poſt adminiſtrationem Sacram. Pænit. 231. ante & poſt SS. Miſſæ Sacrificium per totam hebdomadam. 300

P.

Parænetica ad Paſtores. 1
Præparatio ad horas canonicas recitandas. 210
Profeſſio fidei. 8
Preces Miſcellaneæ 377. preces in Principio & fine Congregationis 26. Preces contra Peſtem 389. Preces pro lucrandis Indulgentiis 58. Preces matutinæ. 197. Preces ante & poſt Confeſſ. 271
Praxis adorandi ſanctiſſimum. 224. Praxis quæſtuoſiſſima offerendi omnia bona opera pro animabus in purgatorio. 436
Præparatio ad felicem mortem 407. & ſeq.

R.

Regulæ Sodalitatis. 15

S.

Suffragia pro fidelibus defunctis. 433
Item praxis eas adjuvandi. ibid.

FINIS.

ER-

ERRATA.

Fol.	lin.	Errata.	Correcta.
13	17	Eclceſiam	Eccleſiam.
27	7	reunabis	renovabis
28	10	ma·	meam
47	19	jejunio *adde*	in jejunio
62	12	jomnes *adde*	ut omnes
71	20	hic	huic
89	7	& tam	& in tam
140	10	ſmone	Simeone
204	3	mihi *adde*	ut mihi
204	10	tibi *adde*	commendo tibi
270	10	ex ſyndereſis	ſyndereſis
316	11	aromamatico	aromatico
324	7	pro te	pro me immenſas tibi
393	4	Sipritus	Spiritus
444	7	audi	audivi
492	24	filljus	filius
394	15	immuneris	inumeris
439	20	libentiſſimum	liberaliſſimum
153	13	poſt collocavit	adde ſequentia

℣. Te Jeſus in laboribus honeſtavit.
℟. Et labores tuos feliciter complevit.

Narodna in univerzitetna knjižnica
Ljubljana